Fris

JOACHIMI FRISICHI

THEMIS HELICONIA,

Sive

EPIGRAMMATA JURIDICA,

in

PROTA JURIS,

QVæ ſunt IV. LIBRI Priores

PANDECTARUM:

Leges Præcipuas juxta Ordinem

Juridicè & Politicè

Senſu nativo & peregrino

explicantia.

OPUSCULUM

Rebus ſeriis jucundum,

& jucundis ſerium.

THORUNI,

Imprimebat Johannes Cœpſelius, *Inclytæ Reipubl. Typogr.* *Anno* 1677.

SERENISSIMO ac POTENTISSIMO

REGI & DOMINO,

D. JOANNI III.

Regi Poloniæ, Magno Duci Lithvaniæ,

Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Kioviæ, Volhyniæ, Podlachiæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czernichoviæq; &c. &c. &c.

Regi & Domino ſuo Clementiſſimo.

Sere-

Serenisſime ac Potentiſſime REX, Domine ac Domine Clementiſſime,

SAcræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ primum in hanc Civitatem Suam ingreſſum Regium gratulabundus & plaudens, mente manuqve humillimâ, excipio. Qvin & exoſculor veſtigia REGIS cum Pace & Juſtitiâ Regnum & Provincias obeuntis. Salve PATER PATRIÆ, Pacis & Juſtitiæ reparator & Servator maxime! Salvete Manus fortiſſimæ Illuſtri Clypeo Subditos à te-

lis Barbarorum protegentes! Laudes & honores immortales vobis deberi uno ore omnes fatentur: Laureamqve victoriarum præmium Serenissimo Capiti tot gravissimas curas ac pericula subeunti devotis animis decernunt, & manibus plaudentibus imponunt. Debent hanc Pax & Justitia, justum pacificumq; REGEM amplectentes: jubent Pallas, Musæ, omnesq; Gratiæ.

Harum instinctu præsenti SERENISSIMO REGI ac Domino, Dño meo clementissimo pro auspicato in Terras Prussiæ adventu ego advena & civis subjectissimus Lauream civicã consecro: Deiq; adoratores imitans,

mitans, Numen Terreſtre, nempe Magnum REGEM ex parvo libello devotè venerabor. Si REGIAM MAJESTATEM non potiùs ſubmiſſâ veneratione, qvàm prolixioris libri modulo dimetiri æqvum eſſet, ſanè ingens à me volumen debebatur.

Verùm qvid in eo evolveret Rex per omnes humanitatis caſus volutus? Imò qvi ipſemet auguſtum prudentiæ, juſtitiæ & Fortitudinis eſt volumen, tam patriæ qvàm exteris gentibus nunqvam ſatis pervolvendum. Hoc omnigenæ virtutis REGIÆ volumen, cujus ego nunc breviculum aliqvale humillimè offero, ſanctiſſimâ compage munite mecum ſubditi!

)(3 Sa-

Sacrilegium mihi videbatur, si qvod â Sacratissimo Imperatore Justiniano mutuatus sum, alii, qvàm SACRÆ REGIÆ MAJESTATI redderem. Foret, etiam parùm civile, ea â tergo Serenissimi in lucem edere, qvæ coràm radiis clementiæ REGIÆ illustrari indigent. Res ipsa loqvitur qvid deceat: occasio monet: Justitia, qvæ suum cuiq; tribui vult, imperat.

Accipe ergò SERENISSIME REX, DOMINE AC DOMINE CLEMENTISSIME, benignissimâ manu, & fronte serenissimâ has exiguas levesqve pagellas sive *Themin Heliconiam*, qvæ sibi & Patriæ Sacram Regiam Majestatem, Patrem atq; Patronum eligit, statuit, ac

nuncupatur. Gerit illa Regis & Principis justi Lemata. Exhibet Heroës, Senatores & Consules Regis & Principis vicarios: Laudat ac reprehendit juris antistites: Uno verbo: Cuivis ex meritis præmia atq; pœnas expendit.

Hæ sunt illæ Statuæ, hæc ipsa Pœcile sive *Porticus Regia* qvæ statuenda REGI Serenissimo, Miltiadem, fortitudine in campo Sarmatico adversus Ottomanos: humanitate verò in Prussiâ ceu Athenis exæqvanti.

Faciet REX Serenissimus tanqvam alter Justinianus, ut qvemadmodum Ille devictis Barbaris jugiter in tentoriis Sanctæ Justitiæ excubuit; Ita etiam SERENISSIMA MAJESTAS ex Spe omnium florentissimâ, post gloriosas

victorias depoſito Sago non pauciora Juſtitiæ Trophæa Togata in perpetuam Nominis Sui gloriam erigat: eoq́; ipſo dulcedo de forti exeat: omnesq́; gentes intelligant REGIAM MAJESTATEM VESTRAM non ſolùm armis decoratam, ſed etiam Legibus eſſe armatam. Cui â Divino Numine cum omnibus pro juſto & forti REGE devota vota ſubnixè fundentibus Thronum in Auguſtiſſimâ Domo perennantem, ſummâq́; felicitate ad aſtra culminantem animitùs apprecatur.

Sacræ & Sereniſſimæ Regiæ Majeſtatis Veſtræ,

Humillimus & ſubjectiſſimus
Joachimus Friſch.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

SI benè cœpta deserere iniquū est, æqviorem Lectoris spero animum: Ejusq; potissimùm, qvi magis æqvi & boni studium, qvam alium vanum ingenii lusum appetat. Nondum ego è Cathedrâ in Curiam tanqvam in Rhodum ad saltum provocatus, pedes hosce metiri cœperam, volens qvippe pedestri itinere stadium meum decurrere: At extra vitæ carceres avocatus subinde ad vetera vestigia respexi, Musarumq; dulce consortium repetii. Pigebat oleum & operam oblivioni consecrari: nullaq; hujus nondum ab aliis calcata via extare debere vestigia. Pro derelicto ferme aliqvot annos jacuit opusculum, subinde digno sub auspicio in lucem prodire expectans. Frons ipsa & totum corpus non joculares aut inanes Troporum & Figurarum lusus, sed Dicta communi usui inservientia exhibebit. Hæc enim, Benevole Lector, intentio mea est, ut prodesse magis qvam delectare velim: qvamvis qvi sensa Legum & Commentationis meæ capiet, voluptate non cariturus sit. EPIGRAMMATA ea appello, non in res fictas, sed, qvæ fundamentum in Legibus

 qvibus

qvibus accommodata sunt, habeant. Neq; omninò sunt nuda solutæ orationis in ligatam translatio, qvippe, quæ ab Epigrammate abhorret: & veteres versus abolitos, quorum JCti mentionem faciunt, reduceret. Reperiuntur Leges non paucæ, quæ æquâ lance expensæ exigui aut nullius momenti in foro sint, adeoq; doceri aut disci vix operæ pretium faciant: Quæ etiam causa est, quod gentes Cæsareo imperio non subjectæ Corpus Juris Civilis procul habent. Si verò ejusmodi Leges in sensum moralem & Politicum deflectantur, fructus enascentur, quibus & alii citra præscriptum facilè utentur. Utrum verò non præstet Leges moraliter explicatas & quotidiano usui obvias, qvam alias nugas atque tricas legere, prudentum judicio relinqvo. Addo quòd juventus Poëseos studio dedita, qvid legendum sit propemodùm nesciat: & studio benè absoluto deprehendat, eruditas nugas se legisse, quæ non nisi in combibonum, aut si feliciùs cadat, Philologorum consortio allegari queant; cùm tamen ea adolescentibus sint discenda, quibus etiam in vitâ civili utantur. Quot paginarum prata in celebrioris famæ Poëtis pervolitantur, in quibus nullus utilis flos pro conficiendo dulcioris orationis melle apparet: Unde fit, ut apes tædio legendi in fu-

in fucos degenerent & favo alieno vivere gestiant. Nil dicam de variis carminum generibus, quæ uti perficiendæ Poësi insigniter inserviunt; rariùs tamen in uno eodemq; auctore plura, nedum præcipua inveniuntur: ut sæpè in uno genere veterani, in alio planè tyrones sint & typum carminis ignorent: aut si alia metra excolere cupiant, tot ferè auctores qvot genera coëmere necessum habeant. Ne verò Lector hìc me ostentationis arguat, paucis dicam qvid tot genera carminum pepererit. Videlicet dum ordinem Legum seqvebar, incidebam in ea Legum verba, qvæ nullo modo ad consvetum Epigrammatum genus nempe Elegiacum qvadrare poterant. Necessitate ergò ductus tale metrum eligere malui, qvale ipsa Legum verba dictabant, qvàm uni metro tenaciùs inhærendo & verba luxare & sensum corrumpere. Qvod me observâsse hoc loco exponendum duxi, & qvilibet, qvi periculum in his facere voluerit, experietur. Jam verò & verborum formalitas salva erit, & in novo carmine Satietas Elegiarum absorbebitur. Qvantum potui, licentiam Poëticam tum in liberiore qvantitate, tum in pede latiore evitavi. Licentiam Epigrammatis 88. qvi admittere noluerit,

rit, is, judicante doctissimo qvodam familiari meo, & verba & Sensum Legis depravabit. Id præterea religiosè observavi, ut, qvia sensus in seqventem lineam protractus jucunditati aliqvid detrahere videtur, singulis versibus singula commata, & integrum sensum vel sententiam absolverem, tantoq́ plures versus usui adaptarem.

Qvia etiam perspexi plura, qvàm in Epigrammatibus exprimere propter brevitatem justam licuit, in lege latere, quæ Moralem & juridicam explanationem merentur; Ideóq́ Paraphrasin qvandam seu Notas Morales in ipsa Epigrammata meditari cœpi. Qvas, qvia à viris doctis amari & Epigrammatibus ferè anteferri animadverti, luce non privabo, si DEUS vitam, vires & otium concesserit. Si qva in præsentibus minùs acuta, vel non examussim exasciata, præsertim circa finem inveneris, Lector Benevole; dabis hoc tum interpellantibus crebrò curis publicis, tum festinationi, qvam hujus opellæ meæ consecratio flagitavit. Interea hisce utere Lector Benevole & fave.

THE-

JOACHIMI FRISICHI THEMIS HELICONIA
Sive
EPIGRAMMATA JURIDICA,
In Pandectar. IV. Libros Priores.
LIBER PRIMUS.
TITULUS I.
DE JUSTITIA & JURE.

1. *Ad Leg. 1. Principium.*

JUstitiæ Sanctæ, PATRES, Patriæq; PATRONI,
[nus
Sit salvus *vester perpetuusq;* Thro-
Justitiæ MATRIS Jus est pulcherrima proles,
Principium justi principis ipse DEUS.

2. *Ad Leg. 1. Princ.*

Jura boni ac æqvi sunt ars, ac arte colenda:
Prætor iners *multis Prætor* iniqvus *erit.*

3. *Ad L. 1. § 2.*

Publica Jura caput regni, privata pedes sunt:
Qvando pedes titubāt, damna caput metuat.

Observet Princeps privata ac publica Jura,
Cum privata labant, publica cuncta ruunt.

4. Ad L. 1. §. 3. & 4.

Naturæ Jus est cujus sunt bruta perita,
A brutis homini discere jura licet.
Qvos ursus genuit catulos alit atqve tuetur,
Progeniem propriam sævus homo perimit.
Sic brutus brutis debet vestigia juris,
Brutior est bruto, qvi sapit hocce minùs.

5. L. Veluti. 2.

Nos Natura docet patriæ parere, patriq;
Tam fera gens non est, qva neget esse DEUM.
Humano generi satis est Natura benigna,
Naturam culpans non cupit esse bonus.

6. L. Ut vim. 3.

Jus & Vis pugnant contrapositis Elementis,
Vis Jus invertit: Jus qvoq; Vim reprimit.
Qvilibet in juris tenebris palpat tamen illud:
Verbera verberibus pellere jure licet.
Sanè grande nefas homines homini insidiari,
Perfidus insidias judicat artis opus.

7. L. Ex hoc Jure Gent. 5.

Jura qvidem gentes belli regniq; dederunt,
Sola tamen pax est & diadema DEI.
Ingentes faciunt gnavas commercia gentes,
Testis erit Venetus, testis erit Batavus.

8. L. Ju

8. L. *Jus Civile.* 6.

Ut crebram vestes metamorphosin patiuntur,
Sic facies Legum sæpè novata redit.

9. L. *Justitia* 10.

Non fortem, castum faciat te sola voluntas,
Ut fias justus, nil nisi velle deest.

10. *d.* L. 10. §. 1.

Ad Tria Juris Præcepta.

Ad Themidem gradibus trinis ascendit honestus,
In gradibus paucis cespitat omnis homo.

11. Aliud ad eadem.

Justitiæ sanctæ trinam posuit DEUS aram,
Prima bonæ Famæ est: Altera corpus habet,
Tertia cuiq; suum tribuit pro partibus æqvis,
Justitiam violans victima juris erit.

12. *Ad* L. 10. §. 2.

Prudentes juris meritò sunt pluris habendi,
Res hominum atq; Dei nam didicere sui,
Injusti, justi tenet artem Jureperitus,
Non tamen est justus, qvi bene jura tenet.
Complures animam qværunt in corpore juris,
Non paucas corpus Juris habes animas!

13. L. *Jus pluribus modis.* 11.

Naturæ Leges sunt norma æqviqve boniq;,
Sed civis leges, utilitate probat.

14. *Ad eandem.*

Jus reddit Prætor vel cum decernit iniqvè,
*Decretum injustum, jus sapit insipidum.**

* Als eine ungemachte Wassersuppe.

15. *L. Nonnunqvam. 12.*

Qvis qvæso Prætor deerit sibi sangvine junctis?
Jus adfinis habet.

TITULUS II.
DE ORIGINE JURIS ET OMNIUM MAGISTRATUUM ET SUCCESSIONE PRUDENTIUM.

16. *Ad L. 1. princ.*

Illotis manibus Cajus jus tangere non vult,
Filia namq; DEI est, sanctaq; Virgo Themis.
Ne temerè ergò Themin tractes studiosa juventus,
Justitiam rabulæ prostituisse volunt.

17. *Ad d. L. 1. §. 43.*

Nemini doctos pudor est rogare,
Servius Qvintum rogat eruditus.
Doctior docto reperitur usq;,
Doctior docti bonus est magister.
Qvi sapit, doctos veneratur omnes,
Servium Qvintus docet, ut rogatur,

Doctior qvivis faciles dat aures.
Servius tardè capit indicata.
Qvâlibet nemo satis aptus horâ.
Forsitan Qvintus dubiè docebat:
Non datum cunctis liqvidè docere.
Servius nondum dubio solutus,
Denuo Qvintum repetit rogare.
Doctior fies etiam rogando.
Servium Qvintus citus increpabat:
Turpiter causas agitat Patronus,
Jura qvi nescit patria statuta.
Dedecet vultus vehemens docentem.
Servius tactus redit inde tristis,
Legibus totum studium dicabat,
Unde post magnus fuit Antecessor,
Ex malis nobis bona sæpe fiunt,
Qvi bonæ frugi est, amat increpantem,
Qvi bonæ frugi est, sapit increpatus.

TITULUS III.

DE LEGIBUS SENATUSq́ CONSULTIS ET LONGA CONSVETUDINE.

18. *Ad LL. 3. 4. 5. & 6.*

Qvæ rarò fiunt, fieri nec posse putantur,
Ex factis crebris omnia jura fluunt.

Disceptas frustra num ducere possit Adamus,
Defunctum in vivis qværere nil opus est.

19. L. *Non ambigitur* 9.

Non semper Leges Latii valuêre Senatus,
Qvando Leo rugit, tunc lupa non ululat.

20. L. *Qvod verò contra rationem*, 14. *&* L. *qvod non ratione* 39.

Lex ratione carens satis est indigna legente,
Ista valet ratio, qvam ratio peperit.

21. L. *Scire Leges* 17.

Vim legum plus est, qvàm singula verba tenere,
Est animo memori judicium melius.

22. L. *Nemo omnium*, 20.

Nemo potest omnis rationem reddere Legis,
Imperium Regis pro ratione valet.

23. L. *Incivile est.* 24.

Frons hominem laudat: leges in calce probamq;
Frons qvoties fallit! lex bene lecta probat.

24. L. *Non est novum.* 26. *&* L. *Sed & posteriores* 28.

Lex Legem docet ac ducit, si tempora ducunt:
Posterior, primâ plus sapit usq; die.

25. L. *Contra Legem.* 29. *&* L. *Fraus* 30.

Ut dæmon animam captivat Corpore salvo;
Sic animam Legis causidici vitiant.

Artis & ingenii rabulæ laus maxima fraus est:
Æstimat improbitas fraudibus ingenium.

26. *L. Princeps. 31.*

Legibus est Princeps ex summo jure solutus,
Qvi ligat & solvit, vincula non metuit.
Principis est terror, Leges Numenq́ vereri:
Qvem Leges solvunt, alligat ipse DEUS.

27. *L. Cum de Consvetudine. 34.*

Is Litem moveat qvi vult nova cudere jura,
Contradicendo deniq́ jura valent.

28. *L. Imò magnæ auctoritatis. 36.*

Consvetudo animis mandatur, lexq́ papyro,
Sint leges validæ, fortior usus erit.

TITULUS IV.
DE CONSTITUTIONIBUS PRINCIPUM.

29. *L. Qvod Principi placuit. 1. princ.*

Qvod Regi placuit, debet vim legis habere,
Digna precor placeant! & mala displiceant!

30. *Ad d. L. 1. §. 2.*

Qvæ dantur Privis, privæ Leges vocitantur.
Pœnas qvisqve fugit, præmia qvisq́ cupit.

31. *L. In rebus novis. 2.* Scaz.

Non est bonum, mutare perperam Leges,
Si qvid diu justum fuit, sinas esse.

Qvod æqvitati non repugnat, est æqvum.
Non pulchra Lex, sed utilis placet nobis.
Sint evidenter commodæ novæ leges.

32. *L. Beneficium Imperatoris. 3.*
Cum jubeas Princeps plenè benefacta notare,
Gratus ero plenè, da modò facq; bene.

TITULUS V.
DE STATU HOMINUM.

33. *L. Libertas. 4. princ.*
JUS & VIS prohibent, ne libertate fruaris,
Dat libertatem Martis & Artis opus.

34. *d. L. 4. §. Serv.*
Servavit belli captivos Roma benigna,
Servati qvidam deteriùs pereunt.

35. *L. In multis. 9.*
Qvid jactas multis? qvod te sit fœmina pejor,
Articulis multis est mulier melior.

36. *L. cum legitimæ nuptiæ 19.*
& L. Lex *Naturæ 24.*
Qvi patrem seqvitur, censetur filius esse,
Qvam seqvitur mater, filia legitima est.

37. *Septimo mense 12.*
Hippocratem lauda citiùs pariens Neonympha,
Laudibus est dignus suspicione levans.

38. *L. Ingenuum 25.*

GENS GENEROSA, POLI *contermina Climatis Arcti,*
Motibus est variis, mobilis atq; gravis.
Conatu magno qværit sibi stemma parare,
Proq; focis patriis fortiter arma capit.
Mox his fucus adest captans qvoq; dulcia mella,
Et cinctus frameâ nobilitate fremit.
Fraude parare studet qvod virtus stēma negavit,
Pessima collusor pro pretio patitur.
Judicis effatum verum certumq; putatur,
Sic eqvites fecit tessera judicii.
Sed Regnum dixit: Vulgus discede pedestre!
Moribus ex pravis Lex bona lata placet.

TITULUS VI.
DE HIS QVI SUI VEL ALIENI JURIS SUNT.

39. *Ad L. 1. §. Igitur in potestate. 1.*

Post vitæ mortem, crevit pretium qvoq; vitæ,
Mortales, vitæ sunt Domini miseri.
Christicolæ spernunt meritò gentilia jura,
Jus necis & vitæ *Barbarus orbis amat.*

40. *L. Si Dominus 2. in fine.*

Umbriciæ bilem moveat vilissima causa,
Hoc ira est gravior { *qvò mulier levior.*
{ *qvò fueris levior.*

41. *L. Item in potestate nostrâ. 3.*

Qvem leges non adstringunt patrisq; potestas,
Hunc ego non dignor dicere legitimum.

42. *L. Filium 6.*

Jus Legista sibi fingit, sed monstra Poëta,
Commoda multa tamē fictio juris habet.
Naturam contra non fingit Jureperitus,
Annorumq; decem non dabit anniculum.
Corporis infirmi nulla est vis, nullaq; proles.
Vicinus bene scit, proximus an valeat.
Ne monstres Aqvilæ pullos, curruca, cuculi,
Ne nidum & pullos devoret illa simul.

43. *L. Patre furioso. 8. princ.*

Non qvantum sapit, est patris censenda potestas,
Si pater usq; furit; tu potiùs sapias.

44. *Ad d. L. 8.*

Ira furor brevis est, ne te permitte furori,
Nam furioso omni jura negant thalamum.

45. *d. L. 8. v. Sed & si.*

Relliqvias mentis jus fingit habere parentes,
Optimus est juris cum pietate color.

46. *L Filius Familias. 9.*

Prudenti & docto non officiat minor ætas,
Munere non annis nunc numerato Senes.

TITULUS VII.
DE ADOPTIONIBUS ET EMANCIPATIONIBUS.

47. *Ad L. 1. v. Principis.*

Pieridum nati non usq; parente carebunt,
Prudentem Princeps adrogat ut sobolem.

48. L. *Magistratum* 4.

Mancipium est vitii qui non emancipat illud,
Errorem stultus diligit ut sobolem.

49. *L. In adoptionibus*, 5.

Non contradicens qvasi consentire videtur,
Invitus mutat nemo lares patrios.

50 *Si pater familias* 15. §. 2.

Sapph. Monoc.

Liberis etsi cupies studere,
Sæpius perdes operam studendo.
Et simul perdes oleum dicatum.
Frigidi frustra cupiunt studere
Liberis, famæ patriæ columnis.
Hinc Libris præstat potiùs studere,

51. *L. Nam ita divus Marcus* 39.

Contradicenti poteris modò scribere dicam,
Qvisq; vocandus erit, cujus & intererit.

52.

52.

Temporibus noſtris vix unus & alter adoptat;
De rebus caſſis dicere multa piget.

TITULUS VIII.
DE DIVISIONE RERUM ET QUALITATE.

53. *L. 1. princ. verſ. Divini juris.*

Per portā ſanctam ſanctus venit & ſceleratus,
Nil ſanctum eſt qvando mœnia ſancta ruunt.

54. *d. L. 1. vers. Qvod autem divini.*

Phaleuci.

Qvos urget pietas, pios videmus.
Res multas veteres DEO dicârunt.
Grati larga manus DEO probatur.
Creſcunt divitiæ pii datoris.
Qvamvis cuncta DEI tamen dari vult.
Mortales qvoniam ſuas habent res,
Sacrum neminis in bonis habetur.
Auri ſacra fames rapit ſacrata.
Qvæ legata DEO, legit malignus.
Qvid non Sacrilegus legit petitq́;?

55. d. L. 1. §. 1. v. corporales.
Firmiùs angvillam, qvàm lubrica jura tenemus,
Non mirum, qvoniam corpore jura carent.

56 L. Item lapilli 3.
Tempora res mutant, cum tēpore jura novātur:
Qvæ Natura dedit, jura tamen prohibent.
Qvi glessum, gemmas, in littore colligit, est fur,
Cur? qvia solius Principis hæc bona sunt.
Aër communis prohibetur non nisi furi,
Lictor suspendens efficit aërium.

57. L. Sanctum. 8. §. Sanctum 1.
Legatus populi reputatur Sanctus in herbis;
Ex herbis Medicus Sanctus & ipse DEUS.
Ne credas Princeps herbis, latet angvis in herbâ,
Qvi gestant herbas, & dare verba solent.

58. L. In tantum 6. §. Universitatis 1.
Neminis est templū, cunctis sunt structa theatra,
Hinc rarus templum visitat, atq; struit.

TITULUS IX.
DE SENATORIBUS.

59. L. Consulari Fœminæ, 1.
Fœmina digna qvidem, sed multò dignior est vir,
Ut faveat mulier, cede locum melior.

60. L. Qvi Indignus. 4.

Qvi non est humili, supero non ordine dignus,
Difficilis res est per bene nôsse virum.
Sæpius Inferior potiorem continet ordo,
Non facient unqvam barba locusve virum.

61. L. Fœminæ 8.

Ut radii Solis collustrant lumine lunam,
Sic splendore viri fœmina nupta micat.

TITULUS X.
DE OFFICIO CONSULIS.

62. L. un. §. 2.

Suspice Collegam, qvoties tu publica tractas,
In magnis solus nemo satis sapiat.

TITULUS XI.
DE OFFICIO PRÆFECTI PRÆTORIO.

63. L. un. §. 1.

Explorare decet, facilis ne credito Princeps,
Explorata fides sat gravitatis habet.

TITU-

TITULUS XII.
DE OFFICIO PRÆFECTI URBI.

64 *L. 1. § 8.*

Accusare verecundè Dominum tibi fas est,
Serviles pœnas lingva petulca meret.

65. *L. 1. § Qvies 12.*

Urbi Præfectus scit qvid gerat improbus Orbis,
Urbibus in magnis crimina magna vigent.

TITULUS XIII.
DE OFFICIO QVÆSTORIS.

66. *Ad Rubricam.*

Qvæstores nummos conqvirunt non sine qvæstu,
Qvod nimium qværant, conqueritur populus.

67. *L. un. §. hodieq; 3.*

Ingressus primus Qvæstura vocatur honorum;
Felicem! cui sic nummus honosq; venit.

TITULUS XIV.
DE OFFICIO PRÆTORUM.

68. *L. Barbarius Philippus. 3.*

Musa facit Dominos, Heroas arma creabunt:
Ignavi indigni sunt titulo Domini.

TITULUS XV.
DE OFFICIO PRÆFECTI VIGILUM.

69. *L. Nam Salutem Reipublicæ 3.*
Principis hæc cura est, urbis spectare salutem,
Millenos homines cura tegit Vigilis.

70. *d. L. 3. §. 1.*
Ignem custodi, si verba aut verbera non vis:
Vulcanus claudus corripit & celerem.

TITULUS XVI.
DE OFFICIO PROCONSULIS ET LEGATI.

71. L. *Observare 4. §. proficisci 2.*
Censebatur onus magnum Pro-Consulis uxor;
Nunc exercitui fœmina nulla gravis.
Uxoris pravæ sunt damna luenda marito,
Est igitur verum: noxa caput seqvitur.

72. *d.* L. 4. §. *anteqvam. 3.*
Fausta precans occurre patri patriæ placiturus,
Laudabis magnos non sine laude tuâ.

73. *d.* L. 4. § *Ingressum. 5.*
Tramite qvi recto tendit, gratus venit hospes,
Flexibus insolitis insidiæ veniunt.

74. L. *Solent* 6.

Vulgaris nimium est gladios gestare potestas,
Si qvis habet gladium, somniat imperium.
Efferimus plures qvos improbus efferat ensis,
Et puer & stultus non gladiatus erit.

75. *d.* L. 6. §. *Legatos non oportet* 2.

Jura Magistratum posuerunt jure gradatim,
Inconsultus homo transilit atq; cadit.

76. *d.* L. 6. §. *Non verò in totùm* 3.

Morosi nihil accipiunt, accissat avarus,
Accipit accipiter semper & unde qveat.
Plebis in ore sonat tritum: dat munera munus.
Vix qvoq; justus ab hoc scommate liber erit *
Munera corrumpunt, Xenium servat, saturatq;.
Hinc leges prohibent munera, non Xenium.
Πάντοτε πάντα πενὴς παρὰ πάντων, λήμματα δέχεσθαι,
Μὴ δὲ πενὴς εἴης, μὴ λαβὲ πάντα πάνυ.
* Arme gibt Rappen.

77. L. *Si in aliqvâ celebrem.* 7 *princ.*

Laus aliena neqvit nostram depascere laudem,
Laude suâ virtus se decorare potest.

TITULUS XVII.

DE OFFICIO PRÆFECTI AUGUSTALIS.

78. L. un.

Deserit officium non servans tempora justa,
Momenti damno publica res pereat.

TITULUS XVIII.
DE OFFICIO PRÆSIDIS.

79. *Præses Provinciæ 3.*

Est civis, venter peccans permulta, malignus,
Purgandus venter, ne capiti malè sit.
Sunt cives corpus validum, sunt crimina morbi,
Si Præses Medicus; sat bene corpus habet.

80. L. *Illicitas exactiones 6.*

Sapp. Mon. §. *Veritas. 1.*

Veritas rerum tegitur cadurcis,
Veritas dormit tacitè sepulta.
Error & falsum vitiant tribunal.
Legibus legem qvatiunt forenses.
Cantharus vinum tenet & venenum,
Illito splendet facies colore.
Abluant undæ liqvidæ nitorem!
Detegant Solis radii tenebras.

81. *d.* L. *6.* §. *5.*

~~Ne~~ tenues *homines vexentur, Præsidis esto,*
Esse volens Crassus *debilitat tenues.*

Scazont. 82. *d.* L. 6. §. 7.

Medentibus non imputandus eſt caſus,
Mortalitas eventibus malis nutat,
Non potionibus medebimur morbis.
Ne Rex qvidem coërceat minas fati.
Medentis imperitiæ gravis culpa eſt.
Innoxius non eſſe debet imprudens,
Qvod qvisq; ſuſcipit, fideliter præſtet.

Anacreont. 83. L. *Generaliter.* 9.

Provinciam gubernans
Prudenter æſtimabit,
Quid partium ſuarum,
In parte curiarum.
Non eſt opus monere,
Nec eſt opus docere;
Prudenter æſtimabit,
Ac rite judicabit.
Hoc Præſides monendi,
Hoc Præſides petendi,
Dent judices honeſtos,
Dent Rhetores modeſtos,

Dent

Dent judices peritos,
Dent Rhetores petitos,
Injurias vetanto,
Litesq́ terminanto.

84. L. Sed licet is. 12.

Qvid Romæ factum, non est spectare necesse,
Errores juris qvisq; suos patitur.

85. L. Divus Marcus. 14.

Carcere claudatur manibus lingvâq; furentes,
Qvi sanâ peccat mente, luet graviùs.

86. d. L. 14.

Dissimulare potest judex pro tempore pœnam,
Qvi simulat morbum, non mereat veniam.

87. d. L. 14.

Portio prima datur Juris, proportio rerum,
Et personarum, portio posterior.

88. L. Observandum 19.

Principis, Præsidis, Judicis } est aditum facilem præbere petenti,
Subditus at nullus familiaris erit.

89. d. L. §. 1.

Non excandescit qvi candidus & gravis est vir.
Personas claras dedecorant lacrumæ.

Con-

Constantis rectiq; viri vestigia vultus,
Ex animi motu vultus habet speciem.

TITULUS XIX.
DE OFFICIO PROCURATORIS CÆSARIS VEL RATIONALIS.

AD RUBR. 90.

Ut rationalis fias, ratione valebis,
Innumeris { numeris / nummis } dignior una fides.

TITULUS XX.
DE OFFICIO JURIDICI ALEXANDRIÆ.

AD RUBR. 91.

Juridicus dictus, doctus qvasi dicere jura,
Juridici dantur, qvi neq; jura sciunt.

TITULUS XXI.
DE OFFICIO EIUS CUI MANDATA EST JURISDICTIO.

92. L. *Mandatum* 5.

Dicere *non satis est, ut* Jurisdictio *constet,*
Verbera ni socies, verba nihil facient.

Titulus XXII.

De OFFICIO ADSESSORUM.

Ad Rubr. 93.

Judicis ac Assessorum Sententia stabit,
Nō sedet hoc *animo* : *provoco* stante pede.

LIBER SECUNDUS.

Titulus I.

De JURISDICTIONE.

94. L. Cui jurisdictio data. 2.

Nil vagina potest gladius cum deficit ultor,
Qvi lictore caret, Prætor inanis erit.

95. L. Imperium 3.

Jus gladii jugulat pravos, jugulatq; meracum,
Adde mero mixtum, sic valet imperium.

96 L. Si qvis id. 7. §. doli 4.

Crimina discernat *Prætor* discrimine *justo,*
Ruricolæ *veniam* rusticitate *merent,*

Ipse potest de jure suo decedere { *Princeps, Præses, Prætor.*

Insulsus veniam simplicitate meret.

97. L.

97. L. Qui Jurisdictioni 10.

Ipse sibi Judex jus dicere jure vetatur:
Vix adeò est justus, qui sibi non faveat.

98 L. Si per errorem 15.

Inscita mat[illegible]is demens est filius error,
Error consensum detegit & vitiat.

99. L. Si convenerit 18.

Non vult is cujus subitò mutata voluntas:
Ad motus varios nolumus & volumus.

100. L. Cum quædam puella 19.

Conjugii validi non rumpit vincula Prætor,
Judicium cœptum non perimit thalamus.

101. L. Extra territorium. 20.

Trochaicum Ityphallicum.

Territorialis
Præsidis } potestas
Judicis }
Territat potenter.
Principis potestas
Legibus vigorem,

Ad-

Addit ac honorem.
Judicis rigore
Terra contremiſcit.
Sola nos tuetur
Principis voluntas.
Judicis facultas
Salvat innocentes,
Corrigit nocentes.
Territorialis
Illa limitatur
Finibus poteſtas.
Territoriali
Dictione Juris
Judices ligantur.
Judici citanti
Exterus nec ullus
Siſtitur repugnans.
Qvi vocatur extra
Limites ſtatutos,
Juſtus emanebit.

102. Aliud ad d. L. 20.

Non impune feret fugiens sua facta maligna,
Regis eum retrahet longa potensq; manus.

TITULUS II.

QVOD QVISQVE JURIS IN ALTERUM STATUERIT, UT IPSE EODEM JURE UTATUR.

103. L. 1. princ.

Infligens colaphos alapis pensabitur aeqvis,
Jus aliis statuens utere jure novo.

104. d. L. 1. §. 1. ad verba: Si qvis apud eum.

Ne pete jura, qvibus possis mihi damna creare,
Judicis arma petis, te qvibus ipse petat.

105. d. L. 1. in fine.

Si nova Lex caret effectu, nulla actio surgit,
Conatus solus nil ubicunq; valet.

106 L. Hoc Edicto 2.

Imprudens dictum soli nocet Adsessori,
Prudentis solo nemo sapit titulo.

TITULUS III.
SI QVIS JUS DICENTI NON OBTEMPERAVERIT.

107. L. un. princ.

Jura Magistratum contemni non patiuntur,
Elusus Prætor Fabula Plebis erit.

108. d. L. un. §. 1.

Extremum Juris sunt pœnæ & pignora capta,
Extremum metuens qvære tibi medium.

TITULUS IV.
DE IN JUS VOCANDO.

109. Ad Rubr.

Cum malus est actor, jus est injuria certa:
Lite supersedeas, ne videare malus.

110. Ad L. In Jus 1.

Ne dic: experiar num possim vincere jure,
Qvi perit experiens, jureperitus erit.

111. L. In jus vocari 2. ver. Præterea

Funus & uxorem ducens non jure citatur,
Et thalamo & tumulo justus honor dabitur.

112. L.

112. L. Quiq; litigandi 4. §. Parentes 3.

Non licitum spuriis in jus arcessere matrem,
Objurgans matrem legitimandus erit.

113. L. Adoptivum. 8. §. 2.

Est contra mores justam prohibere maritam,
Mos bonus est sociam ducere perpetuam.

114. Sed si hâc lege 10. princ.

Qvos fregisse fidem video, non opto Patronos,
Perfidus omnis habet semper in ore fidem.

115. L. Generaliter. 13.

Temporibus nostris fermè est reverentia nulla,
In lites trahitur, qvi reverendus erat.

116. L. Libertus 15.

Ut causæ bonitas pateat, compone libellum,
Verba sonant, sed plus litera mentis habet.

117. L. Plerią; 18.

Anacreonticum.

Pleriq; crediderunt,
Qvod lege tradiderunt,

Non tradidêre falsa,
Hinc credidêre vera.
Nemo suis honestus
Ex ædibus trahendus,
Ad judices agendus,
Ut dirus & scelestus.
Tutissimum receptum
In ædibus putamus,
Nec vana sic putamus,
Cùm jure sit receptum.
Actor sibi cavebit,
Probeq́ providebit,
Ut arguat modestus,
Nec sit nimis molestus.

118. d. L. 18.

Omnis homo est animal faciēs communia brutis,
Qvod brutis antrum est, hoc domus est homini,

119. L. Si sine venia. fin.

Et malus & pauper non officiosus habetur,
Qvi non ære valet, crimina pelle luet.

TITU-

TITULUS V.

SI QVIS IN JUS VOCATUS NON JERIT: SIVE QVIS EUM VOCAVERIT, QVEM EX EDICTO NON DEBUERIT.

120. L. 1.

Difficilis pras est velut as plenum scoriarum.
Aufugiunt prades, prædia fixa manent.

121. Ex qvâcunq; causâ 2. pr.

Nemo bonus qværit justum vitare tribunal,
Prætorem nullum spernito, qvando vocat.

TITULUS VI.

IN JUS VOCATI UT EANT, AUT SATIS VEL CAUTUM DENT.

122. L. 1. 2. & 3.

Pras locuples partis loculos nō semper adimplet,
Cognatus pauper sangvine fit locuples.

TITULUS VII.
NE QVIS EUM QVI IN JUS VOCABITUR, VI EXIMAT.

123. L. 1. §. O filius 2.

Qvod tibi jus prohibet, nullo tibi jure licebit,
Qvæ mihi vis fieri, perpetiare prius.

124. L. Sed eximendi 4.

Res ipsas rapuit, rapiens mihi tempora rerum:
Plurima damna mora, commoda nulla mora.

125. L. Si per alium 5. §. 1.

Dicitur calumnia, Hipponactium.
Qvicqvid supra bonam fidem petitum,
Sit procul calumnia!
Erunt probanda calculo petita.
Prætor Æqva præcipit.
Avara qvæso mitte postulata.
Æstimetur ipsa res,
Affectio restringitur valore.
Creditur calumniæ
Si læsa judicis tui potestas.

126. d. L. 4. §. docere 2.

Lex per se nulla est armata, sed omnis inermis,
Si malè nil facies, jus tibi nil faciet.

Deli-

Delictum non est, donec cadit irritus ictus,
Delictis plenus pœna parata subest.

TITULUS VIII.

QUI SATISDARE COGANTUR, VEL JURATO PROMITTANT, VEL SUÆ PROMISSIONI COMMITTANTUR.

127. Ad Rubricæ membrum 1.

Dant faciuntq; satis, quos Prætor cogit habenis,
Sponte suâ {cuncti / nulli} dant faciuntq; {boni / mali.}

128. Ad Rubr. membr. 2.

Juranti de jure quidem non creditur omni,
Juranti crebrò credere quis poterit?
Illustris jurans valet, ac si jure satis det,
Nobilibus nostris nulla fides hodie!

129. Ad Rubr. membr. 3.

Pollicitis ego credo bonis, bonus ut modò vir sis,
Sentio pro rebus jam data verba mihi.

130. L. Fidejussor 2.

Non omnis dives censendus pro locuplete,
Est etiam locuples vir bonus & facilis.

131. L. si verò 5. §. qvi pro rei qvalitate 1.

Expendat judex, an sit de pondere spondens,
Improbitas culpat, qva reprobare nefas.

132. L. Si fidejussor 7. princ.

Est promissoris, verbis spondere qvadratis,
Ore qvadratus homo verba rotunda dedit.

133. L. de die 8. §. qvi mulierem 1.

Ut mulier dat nulla libens, sic nulla satisdat,
Non aliis caveat, qvæ sibi vix caveat.
Miles habet nunqvam sat, nec de jure satisdat,
Atq; minor nescit, qvid dare conveniat.

134. L. Arbitrio 9.

Nulla fides verbis, sunt re tua verba probanda,
Arbiter haud qvivis partibus æqvus erit.

135. L. Si ab arbitrio 10.

Æqvivalet de jure fides hodie propè gemmis,
Qvanti qvisq; facit, tantus ei valor est.

136. L. Filius familias 14.

Filius est Dominus, sed ficto jure putandus,
Cum satis est dandum, fictio nulla juvat.

137. L.

137. L. Sciendum 15.

Res faciunt homines similes, immobilis est præs,
Si qvis habet fundum, fundus habebit eum.

138. d. L. 15. § 1. vers. eum verò.

Possessor rerum non est, qvi non habet esse,
Possessor nemo messe putandus erit.
Sis fundi Dominus, dum percipiam modò fructus,
Sit dulcis titulus, dulcior est reditus.

139. d. L. 15. §. si fundum 6.

Est aliena petens non mox possessor habendus,
Hæc sua qvoq; putet, qvæ sibi jus tribuit.

TITULUS IX.

SI EX NOXALI CAUSA AGATUR, QVEMADMODUM CAVEATUR.

140. L. 1.

Noxa Caput seqvitur; valet in Cessore Bonorum:
Improbus ex auro ferrea scripta parat.
Ne credas Princeps tali, qvi fallere svevit,
Qvando malus Regem, noxa caput seqvitur.

141. d. L. §. In eadem causa. 1.

Qvi probus ante fuit, reprobum se postea sistens,
Is jura actoris deteriora facit.

TITULUS X.

DE EO PER QVEM FACTUM ERIT, QVO MINUS QVIS IN JUDICIO SISTAT.

142. L. 1. §. Fecisse 1.

Qvadrupedis celeris cursum vel littera sistit,†
Injiciunt remoram dulcia { verba / vina } suam.

† *Scilicet litera O*

143 d. L. 1. §. Dolum 2.

Dat meritò pœnam, tristi qvi tristia dicit,
Attamen interdum nuntia læta nocent.

144. L. Ex hoc Edicto 3. §. Si & Stipulator 3.

Fallentem Prætor nullâ unqvam lege juvabit,
Compensare dolum nullibi jura vetant.

TITULUS XI.

SI QVIS CAUTIONIBUS IN JUDICIO SISTENDI CAUSA FACTIS NON OBTEMPERAVERIT.

145. Non Exigimus 2.

Nil promissa juvant, si nulla sit addita pœna,
Cum lis transacta est, pœna nec ulla tenet.

146. d. L. 2 §. Si qvis judicio 3.

Cum Natura vetat, nec jura venire jubebunt,
Insontes homines sontica causa facit.

147. d. L. 2. § 8.

Injustus cogit manifesta subire pericla,
Non nisi me salvum jura venire jubent.

148 Ad L. 4 § 5.

Est standum pactis: errans errore juvatur,
Extrahimus clavum, qvi malè pactus erat.

149. L. Si eum 10. §. Homo 1.

Vere novo nemo decerpit ab arbore fructus,
Pollicitum justus non petit ante diem.

TITULUS XII.

DE FERIIS ET DILATIONIBUS & DIVERSIS TEMPORIBUS.

150. L. 1. princ.

Curia claudatur, cum rusticus horrea pandit,
Rura semel metimus, Curia sæpe metit.

151. d. L. 1. §. Sed si Prætor 1.

Si qvis sponte venit, de juris ponte recedit,
Invitam partem cogere nemo potest.

152. d. L. & §.

Prætoris factum juri non derogat ulli,
Lex vivens errat, mortua vera manet.

153. L. Eâdem oratione 2.

Qvi festis bene facta vetãt, malè facta probabũt,
Justitiæ placidæ festa nihil prohibent.

154. Solet etiam 3 & L. Præsides 4.

Adonicum.

O Ptime Præses, *Jure rogamus,*
Accipe qvæso *Annue qvæso*
Aure benignâ *Annue votis*
Nostra petita. *Absq; repulsâ!*
Justa petemus, *Sirius æstu*

Absq;

Perculit agros,
Flava capillo
Facta Ceres est:
Rusticus inde
Plaudit in agris,
Estq; paratus
Falce resecta
Munera Terræ
Larga ligare.
Horrea pandens,
Gutture panso
Elevat obbam,
Atq; lagenas
Cogit inanes.
Pellere quoq;
Tædia longa
Jam meditatur
Ubere campo
Ruris amœni.
Nos quoq; captant
Dulcia rura,
Ut videamus
Semina Sparsa
Reddita nobis
Fœnore multo.
Ergò vacare,
Nos jubeamur.
Præses ad ista:
Justa rogâstis,
Sint rata vota,
Otia sunto
Publica curæ:
Ergò stet nunc
Curia clausa.
Turba molesta
Vive quieta,
Tempore messis
Nulla facesse
Tædia nobis,
Vive modesta.
Optime Prætor,
Quæsumus omnes
Lege volente
Jura quiescant,
Atq; tribunal
Hisce diebus.

Qvos voluerunt
Jura vacare.
Sive legantur
Farris acervi,
Sive legantur
Dulcia vina,
Desine prætor
Cernere causas
Prætor ad ista:
Talia dixit:
Tempora messis
Libera sunto,
Ut petiistis:
Rusticus hæcce
Otia fecit.
Nil agis actor,
Si cupis ulli
Tempore messis
Scribere dicam.
Excipe si res
Ipsa perire
Tempore possit.
Actio salva
Expedietur:
Claudere jura
Nolumus ulli.

155. L. Pridie Calendas 5.

Jamb. Senar.

QVod Januarias Calendas pridie
Nunqvam Magistratus potestatem sui
Faciunt, recepti Juris est in urbibus,
Qvietis hoc solenne tempus est eis;
Ut sæpiùs celebrent Calendas, est nefas:
Qvando potentioris audiunt minas,
Aut denegati qvoq; preces Salarii,
Aut sicubi gemitus profundos orphani,
Aut flebiles Viduæ piæ lachrymas vident.

156. L. Si feriatis 6.

Qvod præter jus fit, validatur parte volente,
Qvod contra, nunqvam vincula juris habet.

157. L. Oratione 7.

Est dilatio non nisi dilatatio juris,
Qvi differt, aufert cum mora rem perimit.

158. L. More Romano 8.

Sapp. Monocol.

More Romano numeramus horas,
Nempe viginti qvatuor diei,
Et diem totum medium secamus
In duas partes, tenebras diemq́ʒ:
Alteram noctem propriè vocantes,
Sed dies noctis medio inchoatus,
Desinit rursum remeante nocte.
Qvicqvid est actum tenebris vel ipsis,
Sic valet, lucis qvasi fiat horâ.
Jura discrimen faciunt dierum,
Prætor observet bene juris horas,
Temporis parcus Studiosus esto.
Jura cultorem vigilem reqvirunt,

Lampa-

Lampadem qvando redolet, probatur.
More Germano ſpatium diei
Finiunt multi, bene cùm biberunt,
Cæterùm nox eſt, ubi ſunt ſepulti:
Hinc brevem vitam graviter qveruntur.
Ampliat vitam ſibi, manè ſurgens.
Debiles fiunt nimiùm ſtudentes.
Contrahunt vitam madidi ſodales.
Præſtat in libris periiſſe vitam,
Libero Baccho data vita mors eſt.

159. L. Divus Trajanus 9.

Trochaici.
Diſciplina militaris fertur æqvis paſſibus,
Nulla caſtris ſacra dantur, militē qva liberent.
Templa qvò ſint ſancta, ſemper ſancta ſit cuſtodia,
Miles etſi ſit profanus, ipſe ſancta protegit.
Qvando miles ipſe ſanctus, ſancta ſunt ſanctiſſima.
Diſciplina qvando dormit, qvisq; ſurgit peſſimus.

160. L. In pecuniariis 10.

Nummus una datur, capiti dilatio terna,
Millenis nummis qvippe caput melius.

TITULUS XIII.
DE EDENDO.

161. Ad Rubr.

Qvi multum bibit, haud poterit post édere rectè,
Si bene non édis, deficiet qvod edas.

162. L. 1. princ.

Mos fuit antiqvus populis indicere bellum,
Justificant bellum causa modusq; bonus.
Fece novi secli nullus Fecialis habetur,
Jam dixisse nocet, jam tacuisse juvat,
Judiciis sua sunt, & non sine vulnere bella,
Qvi non indicit, vulnera nulla ferit.

163. d. L. 1. §. Edere 1.

Intendens litem juris, justum ede libellum,
Qvi benè concludit, rite petita feret.

164. d. L. 1. §. Editiones 2.

Tempora non addens rationibus, iste probat nil,
In dubiis Consul consulit atq; dies.

165. L. Prætor ait 4. §. Sed ibi 5. & L. Si qvis 6. §. Exigitur 2.

Instrumenta libens vix Argentarius edit,
Ni jurans dederis, qvod simul ipse bibat.

166. d. L. 6. §. prohibet 9.

Instrumenta dam⁹, sed nulla dabuntur habentis
Pulpamenta petis, nil dabitur lepori.

167. d. L. 6. §. unde apparet 5.

Cujâ nil refert, illi conferre negamus,
Edimus, at nunqvam cedimus arma malis.

168. L. Veluti si peregre 8. §. hæc vox iterum 1.

Nos edimus toties qvoties Natura reqvirit,
Edimus & toties jure jubente libros.

169. L. Argentarius 10. §. edi 2.

Non totos homines ad calcem nôsse studemus,
Sic omnis ratio noscitur à capite.

TITULUS XIV. DE PACTIS.

170. L. 1. princ.

Convenit hoc fidei placitis insistere rectis,
Sit pactum factum: Facta fidem { *faciunt.* / *solidant.* }

171. d. L. 1. §. pactum 1.

Plausibile est nomen, peperit qvod pactio paci,
Cum pacis pactis omnia pacta ruunt.

172 d. L. 1. § Conventionis 3.

Conventus fiunt celebres, conventio nulla,
Conveniunt rarò, cùm veniunt, Domini.

173. d. L. 1. §. Sed conventionum 4.

In nomen plerumq; aliud conventio transit,
Sic totum tempus jusq; perit titulus.

174. L. Item qvia 4.

Verba nihil faciunt, rebus tua pacta valebunt,
Aures aura cibat, re satianda manus.

175 d. L. 4. §. Hujus rei argumentum 2.

Adjunctis ipsis prior est Substantia rerum,
Est ignis fumo, Sponsaq; dote prior.

176. L. Jurisgentium 7. §. qvæ pariunt 1.

Ex sterili pacto non nascitur actio certa,
*Contractus factus nomen habeto suum.**

* Das Kind muß einen Nahmen haben.

177. d. L. 7. §. Sed etsi 2.

Scazontes.

Scit totus orbis qvid velit συνάλλαγμα,
Scit tota civitas qvid obligari sit.
Contractibus subesse convenit causam:
Si qvid facis, si das, nec absq; causâ fit.
Tenent puellæ qvid notet συναλλάττειν,
Cum scilicet contractui deest nomen.

178. d. L. 7. §. sed cum nulla 4.

Ova carent pullis, qvoties sunt absq; vitello,
Effectum nullum pactio nuda parit.

179. d. L. 7. §. Qvinimò.

Consumptis dapibus mihi nil embamma juvabit,
Contractu facto non nova pacta valent.

180. d. L. & §. vers. idē Marcellus.

Omnia pacta bonæ fidei contractibus insunt.
Dant animam, legem, factaq; pacta regunt.

181. d. L. 7. §. Si paciscar 14.

Publica non {mea / tua} sunt, hinc nil donare licebit:
In pactis omnis statq; caditq; salus.

182. L. Majorem 8.

In pactis partis majoris velle seqvêris,
Sæpe tamen major creditor est potior.

183. L. Si plures 9. princ. vers. nec non.

Jamb.

Vix unus homo vicem duorum sustinet.
Est difficile, *si conserenda sit manus,*
Aut disserendum pertinacibus bene.
Est cùm fideliter patrocinaberis,
Et cùm fides rerum gemina reqviritur.
Contra duos nec Hercules qvidem stetit.
Hæc verba sunt severiùs pugnantium,
Hoc carmen est jucundiùs ludentium,
Hoc Canticum superfluè bibentium.
Facillimum est, duplex capere salarium:
Lucris capessendis habile qvodvis pecus.

184. L. Rescriptum 10. §. plerumq́ 2.

Subsidium pacti verum est Exceptio fraudis,
Si gravis est morbus, sit medicina gravis.

185. L. Si unus 27. § pactus 2.

Est pactum facti, stipulatio juris habetur,
Est factum stipes, verbaq; sunt stipulæ,

186. L. 27. §. pacta 4.

Turpia pacta tenens tantò fit turpior inde,
Adversus leges irrita pacta facis.

187. L. Contra juris civilis regulas 28. princ.

Incivilis homo spernit civilia jura,
Adversus mores non data jura bonos.

188. L. Jus adgnationis.

Non perimit pactis, agnati jura recusans,
At frater fratrem pernegat esse suum.

189. L. Tres fratres 35.

Non solves pactum validum nisi fraude ligatum,
Sub fratris titulo sæpe doli veniunt.

190. L. Jus publicum 38.

Privati pactum non mutat publica jura:
Adversus cives nil qvoq; rura valent.

191. L. Veteribus 39.

Verba docent me tecta satis qvàm pectus apertū,
Ambiguè dicens multa loqvendo tacet.
Ne faciat post Eclipsin, sit pactio clara,
Imputet ipse sibi, cuî sua verba nocent.

192. L. Pactum inter heredem, 46.

Semper Theiologus dicentem: pœnitet; audit,
Juridicus modò cùm pænituisse licet.

193. L. Si qvis crediderit 49.

Non ultra vires cogendus debitor ullus:
Hoc fraudatores procreat atq; fovet.

194. L. Non impossibile puto 50.

Qvalem qvis / Qvi furem } fecit, talis reputatur & ipse.
Connivet { pravis / furtis } nonnisi lusca fides.

195. L. Epistola 52.

Defuncti pacto factum præstare tenemur,
Felicem! cujus non moritura fides.

196.

196. L. Sumptus 53.

Dimidiam litis Patrono est turpe pacisci,
Si Dominus totam donet, honestus erit.

197. L. ab emtione 58.

Post tædas hodie nobis tædere negatur,
Integra cùm res est, tunc resilire licet.

Titulus XV.

De TRANSACTIONIBUS.

198. L. Qvi transigit. 1.

Pacta vetant litem, transactio bella futura,
Transigit incertus: pactaq; certus amat.

199. L. Aqviliana 4.

ÆNIGMA.

In stipulis Aquilã videas excludere pullos,
Qvos peperit, perimit, concipiẽsq; perit.

200. L. Cum Aqviliana. 5.

Disce liberalitatem captiosam frangere,
Disce verbis temperare qvando qvid pacisceris,
Jure cautus esse debet qvi seqvester transigit.
Qvi tacere nescit, ille nescit ipse dicere.
Sermo multus audientes excitabit aucupes.

Multa

Multa fundens verba ſæpè vana multa protulit:
Artis eſt per pauciora multa poſſe dicere.

201. L. Et poſt rem 7. Princ.

Appellare tuum, non eſt, appellere navem,
Tranſige rem dubiam, trajiciesq́ue citò.

202. L. Cum hi 8. princ.

Præſenti medico contentus mitte futura,
Eſt bona vox capio: ſed melior teneo.

203 d. L. 8. §. in cauſâ 9. vers. cauſæ

Difficile eſt, cùm res præſensq́ue pecunia deſit.
Qvi nummos numerat, non mihi ſit numerus.

204. d. L. 8. §. Modus 10.

Obſervare modum debet transactio juſtum,
Juſtitiæ nimium diſplicet atque parùm.
Ætatis modulo ſexûsq́ue alimenta dabuntur,
Deterior ſexus neſcit habere modum.

205. d. L. 8. §. Sed & perſonarum contemplatio 11.

Troch. Ityphallicum.

Sunt προσωπολέπται
Judices cavendi,
Et ſimul timendi,

Sicut aſpis ipſa.
Sunt προσωποληπται
Judices colendi,
Atq; diligendi,
Sicut ipſa jaſpis.
Eſt utrumq; verum,
Qvalitate rerum
Penſat hic & ille.
Ille veſte carâ,
Atq; ſtirpe clarâ
Ductus æſtimabit.
Æſtimabit alter,
Ponderans ut halter.
Penſitor peræqvus
Puberis ſenisqve,
Temporis modiq;,
Fæminæ viriq;.

206. d. L. 8. §. Si Prætor. 17.

Nil de jure meo Prætor donare tenetur,
Et qvæ judicium negligit, iſta dedit.

207. d. L. 8. §. Si cum lis 20.

Plus Transacta valent, qvando sunt facta apud acta,
Consule Prætorem, consulet ille tibi.

208. d. L. 8. §. Si qvis 22.

Alterius damno Locuples evadere noli,
Si tua conseqveris, sufficit hocce tibi.

209. L. qvi cum tutoribus 9. §. Transactio 1.

In mentẽ qvæ non veniunt, neq; conveniuntur,
Non valet hoc, qvod qvis, si placuit, tacuit.

210. L. Qvi fidem 16.

Vis firmum pactum? transactis addito pænam,
Dent pœnas Pæni, punica crebra fides.

211. L. Qvi fidem 16.

Vestis honesta virum vulgò demonstrat honestũ.
Cùm lacerata fides, est laceratus honor.

LIBRI TERTII.

TITULUS I.

DE POSTULANDO.

212 L. Hunc titulum 1.

Cum Prætore tuum meritò defendis honorem,
Contemptor decoris fit pecoris similis.

213. d. L. 1 §. postulare.

Postulat affirmans & qvi firmata negavit,
Vertitur hoc gemino cardine sola Themis.
Hoc bivio Judex incedere qvoq; tenetur,
Nunc bivium geminum est Herculis & Themidis.

214. d. L. 1. § Initium v. pueritiam.

Ad morum casus non est satis aptus ephebus,
Ad legum causas non magis aptus erit.

215. d. L. 1. §. Secundo loco vers. Sexum.

Qvare judicio mulier non postulat ulla?
Deterior Sexus deteriora cupit,
Est pudor officio sese immiscere virili,
Officiet mulier, qvæ gerit, officium.
Cur jus dicendi muliercula perdidit omne?
Dicendo causam perdidit illa bonam.
Multa licet dicat Carfania, stulta putatur,
Estq; Plato sapiens, ipse licet taceat.

Si potes Uxorum Prætor compescere lingvas,
Edictum nummus qvisq; tuum redimet,

216. d. L. & §. vers casum.

Non malus est cœcus legum causæq; patronus:
Scutatos siqvidem non videt ille viros.
Personas ut respiciat non est metuendum,
Non opus est oculos ut tegat ille suos.

217. d. L. 1. § Removet 6.

Qvem mulier tundit, patitur muliebria sanè,
Naturam violat conjugis Imperium.

218. d. L. & .§ vers. Bestias & seqv.

Cum sævis pugnare feris virtus reputatur,
Inde ferire feras nobilis ipse studet.
Efferus evadit qvicunq; feras meditatur:
Non licuit timidis edomuisse feras.
Nec miles timidus sibi nobile stemma parabit
Est ergò esse ferum nobilitatis opus.
Qvādo feros populos Princeps vult reddere mites,
Indutâ terret pelle Leonis eos.

219. d. L. § ait Prætor 8.

Causarum cuncti non possunt esse Patroni,
Defensor proprius qvisq; sibi esse potest.

220. L. Fatuo 2.

Prudenti crebrò Fatuum dedit aula Patronum,
Ergò cupit prudens dicere pro fatuo.

221. L. Cui eorum. 3. §. 3.

Sub curâ surdus, cur prodigus ac adolescens?
Non sunt his aures curaq; nulla sui.

222. L. Imperator Titus 8.

Pythagoras fertur lustro docuisse tacere,
Causidicos pravos Cæsar idem docuit.
Dicendi major non est ars arte tacendi,
Dicendo peccat garrula lingva sibi.
Annis qvinq; datur pervolvere jura Qviritum,
Ut rectè taceas, bis tria lustra dabo.

TITULUS II.

DE HIS QVI NOTANTUR INFAMIA.

223. Ad Rubr.

Qvos Natura notat, seqvitur non optima fama,
His, qvos {facta / jura} notāt, pessima fama comes

224. L. 1. princ.

Strenuus è bello laudis fert pulchra brabêa,
Ignavi merces dedecus usq; fuit.

225. L. 2 princ. verf. Hoc amplius.

Phaleuci.

Est morbo fatiùs gravi teneri,
Nec non ulceribus malis scatere,
Quàm famæ maculis malæ notari.
Has non Oceani lavabit unda,
Nec sapo Venetum facit nitentes,
His nullus Medicus potest mederi.
Magnum fama mali malum vocandum,
Ingens fama boni bonum putandum.
Famam non violat famis periclum,
Excusare licet necessitatem.

226. d. L. 2. §. 2. verf. ignominiosa.

Splendida militibus dat Mars insignia belli,
Mars pugnax timidis éxuit arma viris.

227. d. L. 2 §. miles qvi lege Juliâ 3.

Qværatur miles, qvare sit factus adulter,
Et malus & segnis mulus adultus erat:
Castra voco veteris Latii meritò qvasi casta,
Exeat è castris castior esse volens.

228. d. L. 2 §. 5.

Infamis ridet mimus, non præfica plorans,
Lex risum punit, dat veniam lacrumis.

229. L. Athletas 4.

Athletæ lætam pugnam qvîs ludicra dicat?
Nam qvîs verberibus lusus inesse potest?

230. d. L. 4. §. Calumniator 2.

Lenonem fugito, si vis vitare leonem,
Fama mali socii labe bonos maculat.

231. d. L. 4. §. Calumniator 4.

Turpis calumniator. Anacreont.
Qvâ fronte criminaris?
Et qvo colore fallis,
Turpis calumniator;
Heus erubesce turpis!
Qvi judicem fatigas.
Qvid leguleje gannis?
Qvid legibus probabis?
Juratus ecce fallis!
Justusq; vis haberi.
Calumniæ character
Frontem tuam notaret,
Ni Cæsar hunc benignus

Jam

Jam lege ſuſtuliſſet.
Recede mente neqvam!
Procul recede, cede,
Prævaricator à me.
An Juris iſte trames,
Utriq; conſonare,
Et eſſe proditorem?
Lingvam gerens modò unam
Bilingvis es vocandus,
Es æqvè ut ille neqvam.

232. Furti 6. §. ſed ſi furti 1.

Ne dubitate Sophi de viribus Omnipotentis,
Et qvaſi præteritum reddere non valeat,
Ipſe poteſt Prætor totos menſes revocare,
Infames retrò reddere jure poteſt.

233. d. L. 6. §. Si qvis alieno 2.

Infamis nemo eſt alienæ nomine culpæ,
Nullaq; peccati damna reatus habet.

234. d. L. 6. §. Illud planè 6.

Depoſito præſtare fidem pauci didicêre,
Jam proh! non pauci depoſuêre fidem.

235. L. Genero 8.

Dum viduæ longis in luctibus esse tenentur,
Jactantur multis fluctibus & variis.

236. L. Uxores 9.

Uxorem nemo lugere in jure jubetur,
Xantippes lethum lætitiam meruit.

237. Ad L. solet 10. §. un.

Scilicet hoc ipsum est lugere, carere marito:
Post annum lapsum vota secunda licent.

238. Ad L. Liberorum 11. §. Et si talis 1.

Alterius nomen vir non expungit honestus,
Alterius rivos turbat homo nihili.

239. d. L. 11. § 4. & L. Qvid ergò 13. § 1. 2. & 3.

Sunt res honesta nuptiæ, Jamb.
Simulq́ providentiæ;
Minus sibi qvi prospicit,
Rebus suis non consulit.

Vide

Attende qvalis elocet,
Attende qvalis Sponsa sit,
Qvo procreata sangvine,
Qveis educata moribus,
Qvæ fama sit pedissequa,
Et qvæ soluta vinculo,
Hæc eligenda nuptiis.
Habent honorem nuptiæ,
Et dedecus dant nuptiæ.

240. d. L. 13. §. Qvantum ad infamiam 6.

Cum Judex causam cernit, decernit eandem,
Extra judicium non metuendus erit.

241. d. L. 13. §. pæna gravior 7.

Perfrictus baculo, malè post palpatur asellus,
Qvi semel est factus, semper asellus *erit.*

242. L. Notatur 15.

Judex & Medicus curant ventres viduarum,
Ille ut possideant; hicce valere facit.
Inventis ventis ventris mala fama seqvetur,
Flatibus expulsis fama manet Medicum:

243. L. ob hæc verba 20.

Consilium præbens, minimè mandâsse videtur,
Instigare tamen non sine labe potes.

244. L. Ictus fustium 22.

Qvod non infament fustes Marcelle putâsti,
Credo qvod exiguo fama tibi steterit.

245. L. Parentes 23.

Ex luctu longo ratio pietatis habenda est,
Est luctu dignus, qvi pius ipse fuit.

246. Imperator Severus 24.

Non nocuit servæ facienti corpore qvæstum,
Libera nunc dicit: nec mihi qvæstus obest.

247. L. Exheredatum 25.

Filius exheres debet lugere parentem,
Exheres nummis & pietate caret.

248. d. L. 25. §. un.

Lugendus qvi pro Patriâ succumbere gaudet,
Cùm miles cecidit, gloria surgit ei.

TITULUS III.

DE PROCURATORIBUS ET DEFENSORIBUS.

249. Ad Rubr.

Qvi pro me curat, mea vult defendere jura,
Vir bonus est demùm, qvi bene cuncta gerit.

250. L. Dummodò certus sit 2. §. Furibus 1.

Is qvi mente caret, præsens non esse videtur,
Deficit amentem pars hominis potior.

251. L. Filius familias 8. §. invitus 1.

Invitum vita, curas dat cura citati,
Tardantis nimiùm cura bona esse neqvit.

252. d. L. 8. §. Veterani 2.

Nulla potest miles curare negotia civis.
Artem qvam didicit qvisq;, suam recolat.

253. d. L. 8. §. 3. v. verùm ex causâ.

Qvæ Natura docet frustra traduntur ab arte,
Hostibus illa meis tela negare docet.

254. L. Si post datum 14.

Osor adactus erit certus causa tibi rosor,
Qvi non sponte bonus, vix bonus esse potest.

255 L. Ante litem 16.

Absq; gravi causâ noli mutare Patronos,
Causidicus novus est, qvod Medicus novus est.

256. L. Aut adfinitate 22.

Adfines fines rarò servare videntur,
Sangvine qvi junctus jungitur & vitiis.

257. L. qvæ omnia 25. vers. Sed si adversarius,

Judicis est æqvi lingvam multare protervam,
Dicere mentiris, barbara lingva solet.
Dicere, non verum est, civilis non satis est vox,
Sed disceptanti sic reprobare licet.

258. d. L. & vers.

Anacreont.

Ferendus iste non est,
Qvi semet ipse laudat,
Nec

Nec est ferendus iste,
Qvi curat absq; jussu.
Omnis tamen ferendus,
Purgans suum pudorem.
Existimationem,
Læsam licet tueri.
Retorsione justâ
Nobis licebit uti.

259. L. 27. princ.

Qvi invito Domino curas, perdis modò curas,
Si tua dicta cadunt, nec tua facta valent.

260, L. Siqvis 31, §. unius litis 1.

Suscipiant plures curam sic litis eandem,
Ut licitum plures virginis esse procos.
Extingvunt plures ignem sic litis eundem,
Ut tecti flammas ipsa ruina tegit.

261. L. Servum qvoq; 33. §. Publicè utile est 2.

Utile si civi, qvando defenditur absens,
Frivolus accusans futilis actor erit,

262. d. L. Servum qvoq; 33. §. æqvum 4.

Non solùm gladio, licet & defendere fando:
Ne capias ictus, si petis, excipias!

263. L. Sed & hæ personæ 35. §. Defendere 3.

Et pugil & causæ Defensor pollet eodem,
Is malè defendit, qvi bene non caveat.

264. L. Non solùm 39 § Si pater 4.

Qvæ natos angunt, tangunt hæc ipsa parentes,
Filius in patris nomine tutus erit.

295. L. Paulus respondit 69.

Ne Procurator par impar ludere possit,
Auribus ac oculis rebus adesto tuis,

266. L. Si reus paratus sit 73.

Si factus fueris judicio reus, Choriamb.
Maturè statuas qvid fieri velis.
Cumprimis videas qvàm bona causa sit,
Et famæ teneræ consule rectiùs.

Arcum ne rigidum tendere gestias,
Nam tensus nimiùm frangitur improbè.
Si lites dubiæ, cæde benigniùs,
Ne te deficiant tela qvibus petas.
Cedendo licitum vincere sæpiùs:
Damnum si fugies, cedis honestiùs.
Tu si debueris, solvito debitum.
Gratus judicibus debitor offerens.
Nolentem feriunt fulmina judicis.

267. L. Et ideo non potest videri 78.

Tune bonus vir sis? Frustrator es & veterator:
Torpedo trepidans, multicolor polypus.
Ne te qvis capiat, spinas jactas velut hystrix,
Ut Satyrus saltans & fugis & seqveris.
Pro clypeo lingva est, præstatq́ calumnia telum,
Excipis ut spumans dentibus, ictus aper,
Ne tentes jactum, nisi par sis atq́ peritus,
Si jactus cassus, tu qvoq́ ludus eris.

TITU-

TITULUS IV.

QVOD CUJUSQ; UNIVERSITATIS NOMINE VEL CONTRA EAM AGATUR.

268. L. Neq; societas 1.

Non omnibus Collegii licet nomen: Scaz.
Nam Sanctitas Collegiis inest qvædam.
Qvi colligit, Collegio facit nomen,
Qvi colligat legentibus dabit vires.
Qvis turpibus Collegii dabit jura?
Vel præda sola convocat lupos multos.
Communis arca vel latronibus detur;
Collegium leges suas legat primùm,
Ex {*Principis* / *Præsidis*} *demùm manu valent leges.*

269. d. L. 1. §. qvod si nemo 2.

Syndicus ægrotans non præsens esse putatur,
Corpore qvi præsens, si malè sanus, abest.
Qvi non est habilis, minimè præsens reputandus,
Non præsens animo nullus habendus erit.

270.

270. L. Illud notandum 5.

Non tam fraga juvant patrem, ut suffragia nati,
Suffragans patri nullus erit fragilis.
Grata patris vox est, donec non legibus obstat,
Ut leges violem gratia nulla potest.

271. L. Item eorum 6.

Justitiam credunt pueri lusisse Myjndâ,
Qvòd sibi judicio præligat ipsa oculos.
Atq; putant porrò qvod sit muliercula simplex,
Qvæ solùm cupiat prendere, qvem teneat.
Ignari pueri qvid dicant, vera loqvuntur,
Justitiæ est munus, qværere qvem capiat.
Qvando Themis cæcam simulat, tunc optima Judex,
Subditus est Princeps, filius ipse pater.
Arbitriis factis exuta peplo videt ipsa,
Datq; cuiq; suum, vultq;, qvod est maneat.

272. L. Sicut mancipum nomine 7. §. 1. & 2.

Jonicum à Majore.

Tam singulus hic Debitor Universitas est,
Qvàm singulus hic Creditor ipsa Civitas est.

Sumti

Sumti ſimul omnes teneantur exigendi,
Individuis da veniam & remiſſionem,
Præſtat Genus in qvo Species habentur omnes.
Non Bucephalus ſolus ephippio premendus,
Pungant qvoq; calcaria cæteros caballos,
At ſi ſocii deficiunt, locum tueris,
Reſpublica, collegia ſæpe ſtant in uno.

TITULUS V.
DE NEGOTIIS GESTIS

273. L. Si qvis abſentis 2.

Nunc hilares geſtus non legitiment tua geſta,
Huc oſtende libros, ſic mihi liber eris.

274. L. Ait Prætor 3. §. hæc verba, ſi qvis 1.

Cur rectè mulier de jure negotia tractat?
Sexus amat lucrum & τὴν πολυπραγμοσύνην.

275. d. L. 3. §. pupillus 4.

Impenſas penſa rectè tua penſa gerenti,
Qvi nihil impendit, commoda nulla feret.

276. d. L. 3. §. hâc actione 10.

Qveis te miscueris, talem te qvisq; prehendet.
Qvi tangit temere, & sæpe qvod angit, habet.

277. d. L. & §.

Suspicio prudens nulli non suspicienda est,
Hæcce necesse videt, qvodq; nec esse putes.
Noli urgere pedem ne post tibi turgeat idem,
Qvodq; necesse minùs, crede nec esse tuum.

278. L. Si pupilli 6. §. Si qvis ita simpliciter 4.

Galliambicum.

Bona qvid fides fiet, qvisq; bonus bene capiet,
Etenim malam fidem qvisq; malus bene didicit.
Mulierculam voco simplicioribus oculis.
Rudioribus licet moribus, integra tamen est.
Violarier pudorem minimè patitur ea,
Pueris amata, sic archaicis placet eadem.
Preciosa non edit, nec bibit, & fugit epulas,
Mediocritate contenta cupit modò modica.
Alieno ab ære valdè metuit sibi pariter.
Bona nemini invidet, restituit sua cuiq;.
Aliena non avens, ipsa cavet sibi studiò.

Fugi-

Fugitans doli mali, retia nectere refugit.
Vocitans Scapham Scapham simpliciter qvod agit, agit.

279. d. L. 6. §. item qværitur 9.

Ut rate nauta celer peregrinas tendit ad oras,
Fiat velle meum, nunc qvoq; rite tuum.

280. L. Si autem is fuit 8. §. 1. & ibidem Gothofredus.

Qvid lucrum, fructus, & qvid compendia censes?
Res pariunt fructum, dat tibi lucra labor.
Sed compendia sunt, qvasi sint suspendia dicta,
In loculos repunt, nec velut illa strepunt.

281. d. L. §. 8. Julianus 3.

Lex jubet ut damnas sit non prohibens mea damna:
Et socius perdens ocyùs hostis erit.

282. L. Pomponius scribit 9.

Dicta probata semel, caveas iterum reprobare:
Sit dictum dictum, dictaq; facta fient.

283. L. Sed an ultrò 10. §. is autẽ 1.

Non toties datur Effectus qvoties data causa:
Usu sperato sæpius ausa carent.
Nullus arat, nullusq; serit sine messe colonus,
Orans atq; gerens irrita sæpe facit.

284. d. L. & §. vers. Sed ut Celsus refert.

Qveis careas ea cara putes, obolo licet emta,
Qvi vanis inhiat, gestor inanis erit.
Nemo volet navus naves onerasse saburrâ,
Tu cave sis oneri, qvando aliena geris.

285. d. L. & §. vers. juxta hoc est.

Utiliter cæptum totum facit utile gestum
Principium finis prædicat ipse suum.

286. L. Debitor meus 13.

Si culpam casus seqvitur; casum qvoq; damnum,
Nî damnum dederis, tu neq; damna facis.

287. L. At qvi natura debitor. 19. §. cum me 3.

Hoc imprudenti præstat prudentia juris,
Corrigit errores, damna videre docet.
Legibus est alius prudens, aliusq; dolosus,
Dummodo non fallas, rite tibi caveas.

288. Nam & Servius 21. §. si, vivo Titio 2.

Excludes pullos malè, si nova subjicis ova:
In re commissâ tu nova missa face.

289. L. Ex duobus fratribus 27.

Ad sumptus debet te non urgere voluptas,
Impensis nimius non aliena coles.
Sæpe domos amplas habitans amplissima debet:
In fundâ fundus firmior agger erit.

290. L. Liberto 31 §. Litem 2.

Frustrator peccat, non frustratoris amicus:
Et qvam qvis culpam contrahit, ipse ferat.

291. d. L. 31. §. Libertos 4.

Omnibus ex causis Finem dat sola voluntas,
Funiculis fines, fine probamus opus.

292. L. Heres viri defuncti 33.

Tu videas qvid agas, prudenter suscipe litem:
Si parces aliis, parcis & ipse tibi.
Actio non qvævis ad agendum commoda cunctis:
Exhibeas qvod habes, postulat hocce fides.

293. L.

293. L. Nesennius Apollinaris 34.

Qvæ dictat pietas, ea non nisi sponte geruntur,
Atq; piæ matres non alimenta negant.
Qvando aviæ descendit amor, non avia qværit,
Sincero affectu linea recta venit.

294. d. L. 34.

Qvi protestatur, non consensisse videtur.
Protestans testis qvisq; sibi esse potest.

295 L. Qvi sine usuris 38.

Est Vir bonus suisq; laudibus dignus, Scaz.
A semetipso sponte debitum reddens,
Qvi sponte solvit, vinculum sibi demit.
Is liber est, qvicunq; debitis liber.
Non liber est qvemcunq; vinciunt libri.
Sed nunc avis rarissima est in his terris,
Qvi promptus expromat petita credenti.
Qvi sponte solvit absq; difficultate,
Est Vir bonus suisq; laudibus dignus.

296. L. Solvendo 39.

Anapæst. Aristophan.

Ratio Naturalis svadet,
Ratio qvod svadet Civilis:

Alienam qvod conditionem
Meliorem tu possis facere.
Etiam commoda dormitantis
Promoveas ac ignorantis.
Aliorum verò Fortunam
Faciat nemo deteriorem.
O nimium inciviles Cives!
Sua tantùm cōmoda qværentes.

297 L. si communes ædes.

Tu partē defende tuàm, nimium grave totū est.
Qvi bonus est socius, nec tua damna petet.

298. Qvæ utiliter 45. princ.

Phaleuci.

Qvi sumptus faciunt, ferunt honores,
Nummis qvando cares, cares honore.
An munus redimens vir est honestus?
Sanè non meruit gradus honorum.
Per saltum veniunt malis honores:
Qvi munus meruit, vir est probandus.
Multos decipiunt gradus honorum,
Multos præcipitant gradus honorum.

299. L. Actio negotiorum 47. §. nec refert.

Obliqvum recto metitur certa Mathesis:
Mentitur nunqvam linea recta mihi.
Vtile qvisq; sibi censet Geometra rectum,
Obliqvum contra est utile Juridico.
QvodLex scripta docet directum est Jureperitis,
Sensibus obliqvis utile conjiciunt.

TITULUS VI.
DE CALUMNIATORIBUS.

Troch. 300. L. 1. princ,

Dic mihi calumniator impudens & improbe,
Cur qvietos actionibus lacessis frivolis?
Cur negotium facessis atq; Codri jurgia?
Perfidus calumniator accipit pecuniam,
Et loqvi & tacere doctus pro modo pecuniæ.
Orbe toto mira multa perficit pecunia,
Eloqventes conticescunt qvādo nummi tinniunt;
Muta reddit eloqventes: qvanta vis pecuniæ!
Sed pecunias vocabis qvalibet qvæ proderunt.

301. L. In heredem 5,

Heredi extorqvere licet qvoq; turpia lucra,
Extingvunt cineres crimina qvæq; patris.

LIBRI QVARTI.

TITULUS I.

DE IN INTEGRUM RESTITUTIONIBUS.

302. L. Utilitas 1.

Utile commendat sese sine Rhetoris arte,
Vino vendibili non opus est hederâ.

303. d. L. 1.

Est Judex aequus, qui lapsos erigit annos,
Qui circumscriptis subvenit, is bonus est.

304. L. Scio illud 4.

Vir gravis est Praetor, cui non sunt vilia curae.
Ne repetas minimum, ne videare levis.

305. L. Divus Antoninus 7.

Anapæst. Partheniacum.

Solemnia non reprobanda,
Nisi coṁoda publica poscant.

Revo-

Revocare ſemel ſolidata,
Nota ſit tibi certa malorum.
Tua ne pereant tibi jura,
Prætor vigilabit & ipſe.
Et vult tibi reſtituiſſe
Modò ſint ratione probata.

306. d. L. 7. §. 1.

Extremum certè eſt noſtrorum fama bonorum,
Parcendum famæ, donec erit licitum.

TITULUS II.

QVOD METUS CAUSA GESTUM ERIT.

307. L. 1.

Tautologia creat doctis faſtidia multa,
Odi tautologos, atq; periſſologos.
Tautologia parit permulta volumina rerum,
Relligio vocum deſiit ipſa ſimul.

308. d. L. 1.

Vis est causa metûs, metus est trepidatio mentis,
Qvi metuit, trepidat mente manuq; simul.

309. L. Continet 3. §. sed vim accipimus 1.

Jus, qvod Lex statuit, sanè nō vis reputandū est,
Vis & Jus differt in faciente modò.

310. Metum accipiendum 5.

Ille metus magnus, qvi majoris malitatis,
Si pejor fueris, te metuent homines.

311. L. Metum autem 6.

Vanus vana timet, constansq; pericula ridet,
Risus vexatos excipit atq; jocus.

312. L. Nec timorem 7. §. proinde 1

Amittunt omnem tua pacta extorta valorem,
Lex furi illatum vindicat ipsa metum.

313. Isti qvidem 8. §. qvod si dederit 2.

Ingenuo nil est gravius, qvàm turpia {*facta*, / *verba*,}
Ne violet mores, malet & ipse mori.

314. d. L. 8 §. hæc qvæ diximus 3.

Allatrat sobolem, qvi vult mordere parentem,
Est amor in natos nescius ipse sui.

315. L. Metum autem præsentem 9. princ.

Res gravis haud vili mihi suspicione probanda,
Mox facienda puta, jam qvasi facta sient.

316. L. Exstat 13.

Vim loqvitur vulnus, sed habet sua vulnera pectus,
Exactor rigidus vulnera acerba ferit.
Vulnera Chirurgo durè tractare licebit,
Cùm Prætore tuo debita rite petis.

317. L. Item si 14. §. in hâc actione 3.

Qvi metuit nescit: fit mens ignara malorum,
Et qvis terruerit, dicere nox prohibet.

318. d. L. 14. § 6. vers. Pedius.

Troch. Ityphallic.

Captiosus omnis
Venditor datorq;
Exprimit timenti

Jure non petenda,
Atq; pacta cogit,
Nemini probanda.
Fas ſit, an nefas ſit,
Nil id ille curat.
Effugit libenter
Jura fraudulenter:
Qvando nempe novit
Subvenire jura.
Ergò venditurus
Qværit emtitantem.
Nulla ſperet emptor
Ut fide bonâ ſit,
Inde juſta lucra
Juris atq; robur.
Hoc repugnat æqvo
Eſſe captioſum,
Et ſimul doloſum.

519. d. L. 14. §. qvi vim intulit 12.
Siqvis vi rapuit, furis non nomen habebit:
Ut nomen deſit, fur tamen eſt geminus.

320. L. Qvod diximus 16. §. hæc actio hæredi 2.

Heredi non culpa patris nec crimen inhæret.
Qvæ non sunt patris, tu tibi non tribues.

321. L. Si ipsa res 18.

Res mutata reum locupletem te facit esse:
Si tibi res periit, solve mihi pretium.

322. L. Si mulier 21. §. Si metu coactus 5.

Rana coax clamat, clamatq; coacta voluntas:
Qvilibet invitus noluit & voluit.

TITULUS III.
DE DOLO MALO.

323. L. 1. §. dolum malum 22.

Qvid dolus est? fraus est, fallacia, calliditasq;.
Est bolus, est hamus, qvo probitas capitur:
Dissimulas, simulas rectè, dum fraude carebis,
Est simulare probum, dissimulare malum.

324. d. L. 1. §. non fuit 3.

Ille dolus bonus est, cui dat sollertia nomen:
Hosti solertes arte nocere solent.

325. d. L. 1. §. ait Prætor. 4.

Cum lex nulla juvat, Prætor succurrit agenti;
Non abs re famam corripit atq; gravat.

326. d. L. 1. §. Idem Pomponius 6.

Imputet ipse sibi, qvi nescit qvid sit agendum:
Actio qvaq; dolum supprimit & perimit.

327. L. Ideoq; si qvis pupillus 5.

Pupillum fraudans Tutor, qvi non solüendo,
Fraudandus famâ est: fama dolum redimit.

328. L. Nam is nullam 6.

Accusans inopem, laterem lavat, ac agit actum.
Actio non reddens actio inanis erit.

329. L. Et eleganter 7. §. idē Labeo 7.

Miserorum misereri famulorum, Jonicum à Minore.
Studiosè religando pede vinctos,
Nihil est qvod metuendū, qvasi fur sis inhonestus.

Ubi

Ubi verò reprobabunt miserantem,
Bene furis tibi nomen tribuetur:
Dolus in te cadet, & qvæ meruisti pateris.
Violâsti tamen æqvum bonitate.
Dabis ergò mihi pœnas numerando.
Aliorum miserentes famulorum teneantur.

330. d. L. 7. §. fin.

Res gravis est aliqvem temere appellare dolosũ,
Calliditas ingens nomine digna doli.

331. L. Qvod si cum scires 8.

Non parvus dolus est inopem laudare, malumq;:
Commendare malos, est nocuisse bonis.

332. Si qvis adfirmavit 9 §. meritò 5.

De modicis modicè contendas, parcito famæ:
Nullus ubi dolor est, actio nulla doli.

333. L. non debet dari 11.

Actio de famâ non est adversus honestos:
Vilis homo viles credit & esse alios.

334. L. Item exigit Prætor 16.

Non debes actor vagus esse in crimine magno,
Scribe dicam sic, ut dicere certa qveas.

335. L. Arbitrio Judicis 18. princ.

Cùm metus atq; dolus crimen reddant decumanum,
Hinc actor decies damna putare potest.

336. Ad d. L. 18. §. de eo qvi sciens 3.

Fraus est in verbis, mensuris, pondere, rebus;
Mercantes qværunt ex modiis media.

337. d. L. 18. §. dolo cujus effectum est, 4.

Fraus fraudem geminat, qvando res restituenda est,
Ergo doli reluunt, omne qvod intererit.

338. L. Si fidejussor 19.

Troch.

Debitore liberato, conseqventer illicò
Qvi spopondit liberatur atq; sic dimittitur.

339. L. Qvod si deferente me 21.

Relligio juris sunt juramenta vocanda,
Relligio relegit, postq; relecta ligat.

Relli-

Relligio juris clauda est, sunt fœdera clauda,
Qvi ligat haud relegens, relligione caret.
Stat juramento qvicunq; est relligiosus,
Perjurus dignus, qvi cadat & pereat.

340. L. Si Legatarius 23.

Nulla magis capit atq; minus substantia rerum,
Usibus hoc Logicus dogma suis posuit.
His intellectis dixit legata capessens,
Hæc cùm vera sient, ergò magis capiam.

341. L. Si dolo acciderit 24.

Qvi tractata semel pro libertate retractat,
Ingenio non est libero & ingenuo.

342. L. Sabinus putat. 29.

Utitur ingenuâ juris ratione Sabinus,
Ut famam purget calculus à vitio.

343 L. Si duo dolo malo fecerint 36.

Agunt duo dolosè, Anacreont.
Agunt tumultuosè,
Aguntq; fraudulenter,
Dolis agunt libenter.
Est debitor dolosus,
Est debitor probrosus,

Per qvæq; jura jurat,
Et jura nulla curat.
Perjuriis jocatur,
Et executioni
Elabitur malignus.
Qvi pejerat protervè,
Et ducit artis esse,
Circumvenire posse,
Et artis esse magnæ
Concreditum negare,
Probata pernegare.
Qvid ergò juste Prætor
An dignus est putandus,
Aut Judici citandus?
Eludit is Tribunal,
Omnesq; contribules.
Qvid Creditor facessat?
Respondeo qvod æqvum.
Nam stricta jura fallunt.
Hoc creditor facessat,
Dolum dolo rependat,
Astutiam retundat,
Nî debitor refundat.

344. L. Qvod venditor 37.

Commendans merces non est deceptor habendꝰ,
Rebus, non verbis rebor inesse dolum.

TITULUS IV.

DE MINORIBUS VIGINTI QVINQ; ANNIS.

345. L. 1. Princ.

Anapæst. Parthen.

Loqvitur Natura docetq;,
Qvid iniqvum, qvid ve sit æqvum.
Sapiens satis hâc eris unâ,
Memori teneas modò mente.
Juvenes qvoad est minor ætas,
Fragilis qvoq; consilii sunt.
Qvia suppositi expositiq;,
Laqveis ac insidiis sunt.
Regitur meritò minor ætas,
Veniat vigor usq; virilis,
Qvamvis bene gesta fuit res,
Tamen auxilium meruerunt.

346. L. Deniq; Divus Severus. 3. §. si qvis 1.

Qvod Minor affirmat, Major Præmissa probabit,
In Logicis; & jus hâc ratione probat.
Non sunt firma priùs facta aut promissa Minoris,
Qvàm Major factus comprobet acta priùs,

347. d. L. 3. §. Scio etiam.

Principium specta Contractûs, mitte minores,
Qvippe minor læsus restituendus erit.

348. d. L. 3. §. Minorem 3.

Momentum juris finitâ desinit horâ,
Momentis ætas incipit atq; perit.

349. d. L. 3. §. Sed utrùm, vers. Ego.

Filius ob causam patris non restituetur,
Nam privas leges non nisi privus habet.

350. d. L. 3. §. Si qvid minori 7.

Contra jus nati patris nil pacta valebunt,
In bello captis integra jura manent.

351. d. L. 3. §. Servus autem minor 11.

Servus qvi minor est, non est in jure minoris,
Ergò committens imputet ipse sibi.

352. L. Etenim 4.

Qvæ servus gessit, Dominus voluisse videtur,
Ut voluit Dominus, sic famulus nocuit.

353. L. Minoribus 6.

Litibus & sumptu non vexari bona res est.
Vexatus {juvenis / Civis} restituendus erit.

354. L. Prætor gestum 7. princ.

Leges gesta vocant, modò res sit qvaliter acta,
Qvaliacunq; facis, gesta probanda probè.

355. d. L. 7. §. Sed & si ei pecunia 2.

Si minor es, nullus debens dabit æs alienum,
Siste virum talem, qvi tua gesta probet.

356. d. L. 7. §. 5. & 6.

Jura restituunt eum Glyconicum.
Qvi sibi caveat minùs:
Nempe si juvenis minor
Promptus abstinuisse vult
A patris patrimonio;
Damna cùm metuat propè
Inde provenientia.
Lucra restituunt qvoq;.
Dulce Lex sonat hæc satis,
Dulce restitui suis:
Justa lex sapit ut favus.

357. d. L. 7. §. Et si sine dolo 7.

Optio, qvâ veniunt, qvæ non optanda fuissent,
Si minor est læsus, damna rependit ei.

358. d. L. §. Qvæsitum 8.

Gratia, multa facit, sordes seu munera, plura,
Qvi sordes redamat, stercore dignus erit.

359. d. L. 7. §.

Non decet ut decies, quæ vis, iterum quoq; nolis,

Bis {voluisse / mutasse / peccâsse} sat est, plus voluisse nocet.

360. d. L. 7. item & in eremodiciis 12.

Jamb. Senar

Qvid est eremodicium? *desertio*
Vadimonii. Qvam qvi facit, multandus est.
Tamen minori parcitur, si deserit;
Juvenis qvod imputatur imperitiæ.
Qvin omnibus causam suam probantibus
Veniam dabit judex honestè se rogantibus.
Si causa justa sit, minus timoris est:
Qvi contumax fuerit suam culpam ferat.

361. L. Si ex causâ judicati 9. §. in dotis 1.

Dos ultra vires nullam vim juris habebit,
Is circumscribit, qvi bene scripta negat.

362. d. L. 9. § nunc videndum 2.

Jus non restituit juvenem delicta patrantem,
Impunes mittens, dignus ut ipse luat.

363. d. L. 9. §. Si mulier cum culpa 3.

Divertens mulier vel vir non restituendus,
Delictum immodicum nescit habere modū.

364. d. L. 9. §. Si in commissum 5.

Committens in vectigal de jure tenetur,
Qvo pecces animo jus qvoq; scire cupit.

365. L. Verùm vel de dolo 11. §. Item non restituetur 4.

Iura juvant inconsultos, faciles, fatuosq;,
Sobrius inchoat, at, non habet auxilium.

366. d. L. 11. §. Si locupleti 5.

Fortuitus casus, non fatum restituetur,
Lex levat hos modò, qvi lubricitate cadunt.

367. d. L. & §. vers. Sed hæc res.

Qvæ non prospexit solers, ea restituuntur,
Æs alienum vix centoculus videat,

368. d. L. 11. §. Idem qværitur, si minor 6.

Si juvenis juvenem fallit, nil jura juvabunt,
Qvi bona dilapidat, dicitur hic melior.

369. d. L. 11. §. planè si minor 7.

Qvidqvid sit, minor est ante omnia restituendus,
Hinc Major caveat, ne juvenes capiat.

370. L. In causæ cognitione. 13. princ.

Justitiæ cursum præcurrit notio causæ,
Qvis succurrat ei, qvi cecidisse volet?

371. d. L. 13. pr. & ver. unde tractari potest.

Contractus facti malèsvasor ad acta trahatur,
Seu veniat, seu non, jura petita dabunt.

372. L. In causæ cognitione etiam 16. pr.
Troch.

Legibus peti vetatur qvicqvid extra ordinem,
Qvando dātur actionis ordinati tramites,
Præstat ergò Sensa legũ temperata prendere
Actionibusq; rectis experiri prælium.
Ille justo plus amicus improbarum litium,
Obtinere qvi petita vult, licet sint turpia.

373. d.

373. d. L. 16. §. Et generaliter 3.

Qvæ jus non posuit non componit qvoq; Prætor,
Contractus nullus non revocandus erit.

374. d. L. 16. §. Idem Pomponius ait in pretio emptionis.

Archiloch.
Pulchrior haud lex mercatoribus invenitur ulla,
Oraculum mercantium vocetur:
Qvod liceat vel naturaliter hocce venditori,
Emtoribus qvò vendat emta, carè.
Ut circumvenias lex non docet, at vetat dolosos,
Qvicunq; justum diligit, veretur.
Pessimus est qvisqvis circumvenit omnibus dicebus
Nunqvam fames auri dolis carebit.
Hoc opus est mercatorum ferè, falle, convalesces,
Fefellit & falletur ipse qvondam.

376. L. Præfecti etiam Prætorio 17.

Appellans qveritur, qvod sit sententia iniqva,
Erroris veniam restituendus habet.

377. L. Minor autem Magistratus 18. princ.

Non præmissa Minor Majori derogat ulla,
Pugna Magistratûs mutua crimen habet.

378. d. L. 18. §. Sin autem Princeps 1.

Ut vestes gratum poscunt, sic jura, colorem.
Actio decolor est, qvæ ratione caret.

379. L. interdum tamen 19. in fine.

Utilis est annus, qvi perdita jura reponit,
Neglectas horas qvis reparare potest?

380. L. Papianus 20.

Contestata semel lis bis nunqvam tibi prodest,
Qvæ deserta semel, postea nulla juvant.

381. L. Cum mandatu 23. vers. Si autem ipse.

Jus non restituit qvæ sunt commissa minori.
Qvalem constituas, ipse priùs statue.

382. L. Qvod ſi minor 24. §. non ſemper 1.

Non expeditum conſilium dedit, Alcaicum.
Qvi geſta qvævis ſcindere conſulit.
Error {minoris / labantis} corrigatur,
Juſtitiam cole temperatam.
Æqvum memento legibus addere.
Bonus vir æqvum qværit in omnibus,
Ad præcavendum multa damna.
Qvi {bonus / malus} eſt, {bona / mala} promovebit.

383. L. Illud nullam habet dubitationem 25. §. 1.

Mandatum generale tenens non reſtituetur,
Pauca capit ſpecies, omnia ſunt generis.

384. L. Qvod ſi 26. princ.

Actor non gratus, qvisqvis rata non cavet acta,
Abſq; medulla hac non ulla medela datur.

385. L. Patri pro filio §. 1. vers. prædium.

Non debes damno alterius locupletior eſſe,
Prædia dic prædas emta levi pretio.

386. L. Etiam si patre 29 §. ex causâ 1.

Lex ea non cohibet, quæ non in jure cohærent,
Qvod me non tangit, sic nihil angit idem.

387. L. Si mulier 31.

Bis decem dedit aureos,
Servus in Latiis agris,
Liber ut foret omnium:
Non tamen fuit omnibus
Hoc datum pretio pari.
Artifex valuit duplum.
Pluris & Medicus fuit,
Pluris atqve Notarius.
Artibus suus est honor,
Certa Barbaries adest,
Qvando nil datur artibus.
Arte pulchrius est nihil,
Arte carius est nihil,
Arte vilius est nihil.

Glyconicum.

388. L. Minor. 32.

Corporis adspectus fallit, nec judicat annos,
Vultus ubi major, non solet esse Minor.
Jure valent, qvæ sunt errore soluta Minori,
Res male consumens imputet ipse sibi.

389. L. Si minor 34.

Si satis es sapiens, as ne concrede Minori,
Qvi factus locuples, debita justa luet.

390. L. Si in emtionem 35.

Vendita Majorum res restituenda Minori:
Qvod pretii minus est, auget & addit amor.

391. L. Minor viginti qvinq; 36.

Phaleuc.
Non expressa nihil nocent Minori,
Non amissa statim putes, omissa.
Allegata ligant, ubi probandum.

392. L. Auxilium. 37.

Actio omissa semel pœnalis non revocatur,
Qvod nunqvam petitur, nec repeti poterit.

393. d. L 37. § 1. vers. in delictis.

Ætas interdum minuit delicta Minoris,
Delinqvens miser est, & miserandus erit.

394. d. L. 37. § 1. v. dixi.

Invocat is frustra leges, qvi ludit easdem,
Qvem delicta juvant, lex qvoq; nulla juvat.

395. L. Intra utile tempus 39.

Proposito justo responsum conveniens sit,
Justè conveniunt acta probata sibi.

396. L. Si Judex 41.

Unicuiq; licet, qvæ pro se, temnere jura.
Sunt leges fontes, non bibit inde satur.

397. L. Non omnia 44.

Redde lucrũ cessans, nec non præsentia damna,
Fraus & onus juvenem non onerare potest.

TITULUS V.
DE CAPITE MINUTIS.

398. L. 1.

Non stabilis status est, cunctis mutatio rebus.
Qvæ jam stare vides, sunt ruitura brevi.

399. L. Pertinet hoc Edictum 2.
§. Nemo 3.

Exuitur nemo delictis, ut caput absit,
Exuit hos lictor, qvêis pudor omnis abest.

400. L. Eas obligationes 8.

Civilis ratio Naturæ nulla repugnat,
Qvod justè debes, solvere jura jubent.
Conjugium Natura dedit, dotemq; marito,
Qvod debes dabis; hæc regula prima fuit.

TITULUS IV.

EX QVIBUS CAUSIS MAJORES VIGINTI QVINQ; ANNIS IN INTEGRUM RESTITUUNTUR.

401. L. 1.

Dans operam ut valeat Respublica, commodus est vir,
Qvi prodest, ejus commoda jura juvant.

402. L. Item hi. 4.

Publica curando non grandia commoda captes,
Cùm te nemo tenet, ne tibi fac remoram.

403. L. Succurritur. 9.

Jus succurrit ei, qvi currere vi prohibetur,
Impedit hoc si qvis compede vinctus erit.

404. L. In eâdem causâ. 10.

Qvisq; verecundus custodem & vincla veretur,
Est damnum rebus non superesse suis.

405. L. Ab hostibus 15. §. Sed qvod 3.

Immodicũ damnum temp⁹ modicum reparabit,
Qvi differt, aufert commoda multa sibi.

406.

406. L. Non enim negligentibus 16. Scazont.

Non subvenitur negligentibus rectè.
Qvos impedit necessitas, carent culpâ.
Angustiori tempori favent Leges.
Augusta res angustias facit nobis.

407. L. Deniq; si emptor. 19.

Plurima habet facti, possessio, sitq; sedendo,
Dissidium factis atq; tumultus inest.

408. L. Nec utilem actionem. 20.

Amissum non est, qvod non acqvirit & alter,
Usibus alterius res mea (tua) tota perit.

409. L. Item ait Prætor 21. pr.

Præcaveat Prætor justus, ne qvis capiatur,
Tu cave sis, ne te qvis capiat facilè.

410. L. Ait prætor 23. §. fin. & L. 25.

Hoc frustratores animat, qvod restituuntur,
Est mora Judicii Justitiæ remora.

411. L. Sed & si per Prætorem 26. §. 4. vers. Item.

Facta Magistratus, sordes & gratia larga,
Nonne Magistratus sordidus esse potest?

412. d. L. 26. §. Si feriæ extra ordinem. 7. Troch.

Feriæ nostræ dicatæ sunto { *summo* / *nostro* } *Principi,*
Jura Prætor nulla dicet, dicat Augustissimus!
Et reponat læsa jura, qvæq; nemo sarciat.
Feriabimur libenter, jubilamus Principi.
Fausta qvævis apprecamur gesta propter prosperè!
Hæc dies serena Regi, fronsq; sit serenior!
Jubilamus, vive Princeps! vive Princeps optime!

413. L. Et sive qvid amiserit. 27.

Hæc duo præcipuè nobis sunt restituenda,
Cessantes fructus, perdita lucra boni.

414. L. Nec non & si qvis 28. princ.

Qvi studiis absens operam dat, restituendus:
Qvi præsens prodest, damna nec ulla ferat.

415. L. Videlicet ne cui officium 29.

Officium nulli debet compendia ferre,
Officit Officium non nisi damna ferens.

416. L. Qvi mittuntur 35. §. qvæsitum est 5.

O factum rectè! Præses compesce malignos,
Excusatus eris, publica si qva geres.

417. L. Reipublicæ causâ abesse 36.

Infelix est, qvem Respublica cogit abesse,
Sitq; domi qvamvis, nec sibi tunc aderit.

418. L. Si cui in provinciâ 38. in fine. Jamb.

Infirmitate si qvis impeditus est,
Humanitatis est bona excusatio,
Est virium modus, modus sit tempori.
Sed mentis obstinatio non { casus / morbus } est:
Spectabimus qvid ipsa res futura sit.
Spectabimus qvis sit futurus exitus.

419. L. Siqvis Reipublicæ causâ abest 44.

Qvid factum, spectes, & qvæ non facta fuissent,
Adversus Fatum gratia sola valet.

420. L. Milites omnes 45.

Haud insons miles poterit decedere signis,
Ne facias qvod Respublica non patitur.

421. L. Qvi Reipublicæ causâ abfuit 46.

Officium ut par sit, non par fortuna duorum est:
Inprimis læsus restituendus erit.

TITULUS VII.

DE ALIENATIONE JUDICII MUTANDI CAUSA FACTA.

422. L. Omnibus modis 1.

Causa mihi fit deterior, cùm durior extat,
Durior Opponens nempe potens veniet.

423. L. Qvia etiam 3.

Qvis par esse potest homini magno atq; potenti?
Cum magno experiens ipse perire potest.

424. d. L. 3. §. 2.

Impensis ea tolle tuis, qvæ tu posuisti,
Alterius factum tollere, durius est.

425. d. L. 3. § 4.

Actor consequitur qvodcunq; suâ fuit inter:
Ne vir sis durus, commoda restitue.

426. L. Item si res 4.

Qvi probus est, mavult tam re, qvam lite carere,
Improbus est qvisqvis litibus immoritur.

427. d. L. 4. §. 3.

Mente manuq; graves non curant jurgia juris,
Dirus homo vexat mente manuq; graves.

428. L. Cum miles postulabat 11.

Nil donat, qvi rem cedit mihi litigiosam,
Cum causa qvoq; res transeat in Dominum.

TITULUS VIII.
DE RECEPTIS QVI ARBITRIUM RECEPERUNT, UT SENTENTIAM DICANT.

429. L. Compromissum 1.

Qvi compromittunt, litem abbreviare studento,
O Princeps / Prætor } lites abbreviare jube!

430. L. Labeo ait 3. §. 1.

Arbiter & bonus & justus vir jure vocatur,
Arbitrium res est libera & arbitrii.
Arbitrium semel acceptum finire teneris,
Solicitè qvivis munus obito suum.
Nudus honore vir est, nudans secreta negotî,
Discretus sordes non capit, aut redamat.

431. L. Pedius 7.

Vir bonus esse neqvit, si qvem mala fama sequatur,
Qvalem qvisq; legit, talis & ipse fiet.

432. L. Sed si ita comparatum 8.

Si qvid mentis habes, { stolidũ / asinum } ne jũge { sagaci, / leoni,
Cogitur is semper, qvi potiora potest.

433. L. Litigatores 11.

Qvi spretus semel est, iterũ neqvit esse coactus,
Sperne malos adeò, ne redeas ad eos.

434. L. Pomponius ait 13. §. recepisse 2. Jamb.

Auctoritate pátere litem discuti,

Ne

Ne sperne consilium tibi rectè datum.
Attempera te tempori prudentiùs,
Sic finies cœptum tuum faciliùs.

435. d. L. 13. §. proinde 4.

Cùm factum non est liqvidum, nec jus qvoq;
clarum est,
Dic liqvidò mentem, si tibi causa liqvet.

436. L. Sed si compromissum 14.

Est causis statuenda dies, sunt tempora rerum,
Tempore neglecto res tua tota perit.

437. L. Licet autem Prætor. 15.

Sic cogit Prætor, ne sit præter rationem,
Excusatus eris, si ratio steterit.

438. L. Et si qva alia incommoditas 16.

Si qva valetudo premit, est res protelanda,
Qvi valet, officium ritè suum faciat.

439. L. Item si unus 17. §. Item si plures 2.

Officio æqvales vice perfungentur eâdem,
Omnes, aut nullus judicet in dubiis.

440. d. L. 17. §. Principaliter 9.

Hac natura hominum est, faciles ad jurgia flectunt,
Inter dissensus exitus haud facilis.

441. L. Sicut tribus judicibus datis 18.

Hoc stabit, qvod pars major statuisse probatur,
Judicis absentis nulla valet ratio.

442. L. Qvalem autem Sententiam 19.

Libera vox esto, cunctorum libera vota:
Praescriptum certum non sinit arbitrium.

443. d. L. 19. §. dicere 1.

Decretum non est nisi pars à lite recedat,
Decretum finem litibus imposuit.

444. d. L. 19. §. Unde videndum erit 2.

De facili Judex decretum non variabit,
Ut mentem mutes, sit tibi causa gravis.

445. L. Qvia arbiter 20.

Tu vero mentem rectam proferre memento,
Ut ne causam error commaculet vitio.

446 L. Qvid tamen 21. §. non debent 7.

Arbiter & Judex inprimis vir sit honestus,
Judicis efficiunt turpia jussa nihil.

447. d. L. 21. §. Intra qvantum 11.

Cum duo idem faciunt, multùm tamen actio differt:
Conditio dispar dissipat atq; vorat.
Absurdum est, ut jus modò stet, modò concidat omne:
Non sit jus impar, par ubi causa fuit.

448. L. Labeo ait 25. princ.

Officio functi non perfunctoria laus est,
Munere non fungens scommata non fugiet.

449. L. Diem proferre 27. §. si heredis 1.

Si Labeo titubat, qvid mirum si mea fallunt?
Qvam circumspectus sis, tamen error erit.

450. d. L. 27. §. ſtari autem debet 2.

Arbitrio ſtandum, qvamvis ſententia iniqva;
Ut Fortuna cadit, ſic qvoq; jura cadunt.

451. d. L. 27. §. Si plures 3.

Summa placet major, qvoties eſt accipiendum,
Qvi debet, mavult, ſolvere qvod minus eſt.

452. d. L. 27. §. coram 5.

Decretum nullum eſt, niſi ſit coram ſapiente,
Non eſt is coràm, qvi neq; dicta capit.

453. L. Si qvis rem 30.

Arbitrium / Judicium } eludens, luſum placitum luat ære,
Sic ad Prætorem priſtina cauſa redit.

454. L. Non diſtingvemus 32. §. Sacerdotio 4.

Hocce Sacerdotis nunc indulgetur honori,
Perſonæ ſacræ non niſi ſacra colant.
Si vir ſancte, ſapis, qvæſo res mitte profanas,
Præcipuéq; tui ſit tibi cura DEI.
Hoc opus eſt licitum, dubias componere lites,
Juſtitiæ & paci qvisq; ſacratus erit.

455. L. Non ex omnibus causis
39. princ.

Non omnes similem causæ pœnam meruerunt,
Sunt operæ & nummi litibus expositi.

456. L. Cum Lege Juliâ cautum sit 41.

Annis viginti minor arbiter esse vetatur,
Arbiter est juvenis vix bonus ipse sui.

457. L. De his rebus 46.

Arbiter est positus præsentem cernere causam,
Post actum festum nil tua vota valent.

458. Si de re suâ 51.

De rebus propriis nemo valet arbiter esse:
Nemo jubere sibi, nec prohibere potest.

Titulus IX.

NAUTÆ, CAUPONES, STABULARII, UT RECEPTA RESTITUANT.

459. Ad Rubr.

Nauta levis, caupo, stabularius instabiles sunt,
Ægrè restituit, qui facilis recipit.

460.

460. L. 1. §. 1.

Spectata fidei custodes esse necesse est,
Qvæ tibi committo, restituenda mihi.

461. d. L. 1. & §. 1.

Furibus occultis claudenda occasio qvævis:
Furibus occultis claudere nemo potest.
Adversus fraudem Leges vix mille valebunt,
Qvam sit pœna gravis, fur tamen usq; levis.

462. d. L. 1. § Et sunt qvidam 3.

Cum manus est immissa rei, χειρέμβολος inde est.
Qvando admota manus, non sine crimine erit.

463. d. L. 1. § caupones 5.

Est mediastino rerum custodia nulla:
Qvod cui commissum, sic gerat, ut bene sit.

464. L. Et ita de facto 3. princ.

Is qvi res recipit, curabit res qvoq; salvas;
Participes lucri damna simul capiant.

465. L. Nauta & caupo 5.

Jure valent qvædam, qvæ non expressa leguntur,
Mercedem capiens, fac mereare tuam.

466. L. Debet Exercitor 7. princ.

Damnum in nave datum præstandum, non qvod ab extra,
Contractus fines qvisq; suos habeat.

467. d. L. 7 princ. verf. item si prædixerit.

Ut serves, servus rerum sis ipse tuarum,
Salvat protestans integra jura sibi.

468. d. L. 7. §. 4. verf. servoru m.

Exploranda fides, ne deplorare necesse,
Explorata fides commoda multa facit.
Explorata fides animam corpusq; tuetur:
Non est qvi fidei se neget esse bonæ.
Perfidiæ documenta docent jam credere nulli,
Apparet tandem sine probata fides.

NOTA

NOTA.

TUm omnes artes tùm præcipuè Musica & Poësis hoc familiare habent, ut spectatores & auditores suos non nisi qualiter qualiter artis peritos voluptate afficiant. Tantaq; affinitas duarum laudatarum artium est, ut si in eodem Subjecto altera absq; alterâ inveniatur, aut jejuna, aut planè monstrosa sit: aut certè qvamvis altera floreat, altera tamen radice non careat. Qvæ cùm ita se habeant, non abs re putavi vacante unâ atq; alterâ pagellâ in gratiam eorum qvi Divinæ Poësi faventiores sunt, (qvos etiam inter Illustres reperio) ipsos Typos & Schemata Carminum cujuslibet Generis adjicere: præsertim ubi tædium legentibus subnasci comperi, qvando generis à genere differentiam non habent nisi ex multis auctoribus colligendam. Ponam igitur Typos Carminum eo ordine qvo in hoc Libello subseqvuntur, solo Elegiaco, nemini ignoto, omisso.

Sapphi-

Sapphicum Monocolon, *quod est unius ejusdemq; dimensioni.*

\- ∪   - -   - ∪ ∪   - ∪   - ∪
-

Nemi ni do ctos pudor estro gare
Vid. Epigr. 17. 50. 80 185.

Scazonticum, *ex Iambico ortum in sextâ regione loco Jambi Spondæum habens, claudicans dicitur.*

\- - ∪ - - - ∪ - ∪ - - -
∪ - ∪ -

Non est bonũ muta reper peram Leges
Vid. Epigr. 31.

Phaleucium *sive* Phalæcum *ab authore nomen habet.*

\- -   - ∪ ∪   - ∪   - ∪   - ∪
-

Quos ur get pie tas, pi os vi demus
Vid. Epigr. 54.

Anacreonticum, *ab Anacreonte Lyrico Græco dictum.*

∪ ∪ -   ∪ -   ∪ -   ∪
∪ -   -
\- -

Provin ciam guber nans Epigr. 83. 117.

Trocha-

- ∪ - ∪ - ∪

Terri tori alis
Præſi dispo teſtas
Terri tatpo tenter Epigr. 101.

Hipponactium, *eſt Dicolon ſ. duarum dimenſionum, ut primus verſus ſit Trochaicus Dimeter Catalecticus. Secundus verò Jambicus trimeter Catalecticus: hoc eſt, ut una ſyllaba deſit.* Epigr. 125.

- ∪ - ∪ - ∪ ∪

Dici turca lumni a

∪ - ∪ - ∪ - ∪ - ∪ - ∪

Qvicqvid ſupra bonam fidem peti tũ

Adonicum, *eſt particula Hexametri poſtrema*

- ∪ ∪ - ∪

Optime Præſes
Accipe qvæſo Epigr. 155.
Aure be nignâ
Noſtra pe tita.

Jambi-

Jambicum Senarium.

u -   u -   u -   u -   u -   u -

uu-   uuu   uu-   uuu   uu-   uuu

-uu   -uu   -uu   uu

— —   — —   — —

uuu   uuu   uuu

Qvie tis hoc ſolen ne tem pus eſt eis.

Vid. Epigr. 155.

Trochaicum Octonarium Catalecticum.

-u -u -u -u -u -u -u -

uuu uuu uuu uuu uuu uuu uuu u

-uu   -uu   -uu

uu-   uu-   uu-

— —   — —   — —

Diſci plina mili taris fertur æqvis paſſi bus

Epigr. 159. 200. 300.

Jambicum Dimetrum, 4. *pedibus conſtat: aliàs nihil differt à Senario, niſi qvod Tribrachum non amat, nec alios pedes triſyllabos.*

Epigr. 39.

u -   u -   u -   u-

— —   — —   — —   — —

Sunt res hones ta nup tiæ

Simul q; pro viden tiæ

Chori-

Choriambicum Asclepiadéum,

à pede -∪∪- Choriambo dictum.

- -   - ∪ ∪ -   - ∪∪ - ∪ -
∪ ∪

Si fac tus fueris judicio reus,
Matu rè statuas qvid fieri velis,

Epigr. 266.

Jonicum à Majore, *à pede*

- - ∪ ∪ Jonico dictum Epigr. 172.

- - ∪ ∪   - - ∪ ∪   - ∪ - ∪   - -
Tam singulus hic Debitor universi tas est
Qvàm singulus hic Creditor ipsa Civi tas est.

Galliambicum, *qvod divinum vocatur.* Epigr. 278.

∪ ∪ -   ∪ -   ∪ -   - ∪ ∪   - ∪ ∪   ∪ ∪ -
∪ ∪ ∪

Bona qvid fides siet qvisq;bo n' bene capiet

Anapæsticum Aristophanicum,

in qvo nulla cæsura observatur.

∪ ∪ -   ∪ ∪ -   ∪ ∪ -   ∪ ∪ -
- ∪ ∪   - ∪ ∪   - ∪ ∪   ∪ ∪ ∪
- -   - -   - -   - -

Ratio Natu ralis svadet
Ratio qvod sva doc ci vilis.

Ana-

Anapæſticum Parthenicum.

⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑
– – –

Solem nia non reproban da
Niſi com moda pub lica poſ cant

Epigr. 305.

Jonicum à Minore,

à ⏑ ⏑ – – *pede Jonico inverſo dictum eſtq́ue Tricolon, poſt duos Trimetros aſſumens Tetrametrum.*

⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – –
⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – –
⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – –

Miſêrorum miſereri famulorum
Studioſè religando pede vinctos
Nihil eſt qvod metuendū qvaſi furſis inhoneſtꝰ

Epigr. 329.

Glyconicum Monocolon.

⏑
– ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ –

Jura reſtituunt eum
Qviſi bi caveat minus:

Epigram. 356.

Archi-

Archilochium, *dicolon est, alter Heptameter Ityphallicus: alter Catalecticus.*

Epigr.

1 - u u - u u - u u - u u - u - u
- - - - - - *

2 - - u - - - u - u - -
u

Pulchrior haud lex merca toribus inve nitur ulla
Ora culum mercan tium voce tur:

Alcaicum, *Carmen Tricolon est & qvatuor Versus unam strophen constituunt in tribus prioribus Bachius u - - regionem secundam tenet.* Epigr. 382.

-
1 u - u - - - u u - u u
-
2 u - u - - - u u - u u

Non ex peditum consili um dedis
Qvi ges ta qvævis scindere consulis
-
3 u - u - - - u - u

Error labantis corri gatur

4 - u u - u u - u - u

Justiti am cole tempe ratam.